Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/ordoiudiciariusi0000paci

Al Rmo P. Guglielmo Arnoldi S. J.
Omaggio dell'Autore

ORDO IUDICIARIUS
IN PRAXIM TRADUCTUS

MATRIMONIALIUM CAUSARUM SPECIMINIBUS

ACCEDUNT

LOCUPLETISSIMAE ANNOTATIONES

SUIS LOCIS ADIECTAE

ET

INDEX RERUM NOTABILIUM IN CALCE

AUCTORE

PACIFICO PIERANTONELLI

CURIAE ROMANAE ADVOCATO
EMERITO MATRIMONII VINDICE EX OFFICIO APUD S. C. CONCILII
ORDINIS CAROLI III EQUITE TORQUATO
ANTISTITE URBANO
ET CLERICO REV. CAMERAE APOSTOLICAE

DIOC. TR. R. R.
ALMA COLLEGE
348.533
LIBRARY
P 61
Alma, California

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA
S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1904.

23131

Sartum et tectum ius proprietatis esto.

TABULA SYNOPTICA

ACTA SPECIMINIS PRIMI.

1. Libellus iudicii . . . . . *pag.* 13
2. Libelli oblatio 16
3. Testimonium de matrimonii celebratione . . . . . ib.
4. Conamina, quibus mater actricem ad nuptias adduxit. 17
5. Episcopus nominat matrimonii defensorem, cuius votum super intentata actione iudex exquirit 19
6. Sacramenti vindex iusiurandum concipit 20
7. Ille censet Aulum a limine iudicii reiiciendum . . 21
8. Iudex iubet hortari actorem, ut ab actione recedat . 25
9. Aulus ab actione desistere recusat 28
10. Iudex iuxta actoris votum audiri mandat eius uxorem huiusque matrem 30
11. Declarationes a memoratis feminis suppeditatae . . 31
12. Iuxta Auli pariter petitionem iudex explicationes quaerit a Gaiae et matris ex-cubicularia 33
13. Datae ab hac muliere declarationes 34
14. Sententia, qua statuitur non esse locum procedendi ad ulteriora 36
15. Actor appellat ad S. Sedem 37
16. S. Congr. Concilii confirmat sententiam primi gradus. 38

ACTA SPECIMINIS SECUNDI.

17. Libellus iudicii 39
18. Oblatio libelli 40
19. Epistola, in qua pater prodit animum cogendi actricem ad nuptias 41

20. Altera, in qua actrix queritur de desperatione evadendi coactionem . . . . . *pag.* 42
21. Sacrorum antistes Catoni Lustrini causae cognitionem committit 43
22. Iudex delegatus proprium Luciae, actricis, parochum rogat ut curet coniugum concordiam . . . . . ib.
23. Coniuges ambo reconciliationi resistunt . . . . . ib.
24. Iudex ad defensorem matrimonii transmittit acta causae 44
25. Sacramenti vindex iuramentum a lege praescriptum edit 45
26. Iudex actrici diem dicit ad examen subeundum . . ib.
27. Citatio Luciae denuntiata 46
28. Iudiciale eiusdem examen. 47
29. Iudex decernit in ius vocari Manium, reum. . . . 50
30. Ad hoc commendatam ei dat epistolam 51
31. Iudiciale Manii examen. 52
32. Citatio actricis patri, Petro Cinti, denuntiata . . . 53
33. Petri Cinti examen 54
34. Item Christinae Silenzi 55
35. „ Gemmae Salustri 56
36. „ Iurisconsulti Stecchini 59
37. „ Laetitiae Sangeni 60
38. „ Catharinae Cinti 61
39. „ Sophiae a Corde Iesu 63
40. Publicatio processus 64
41. Defensio actricis 65
42. Animadversiones defensoris matr. ex officio. . . . 67
43. Iudex iubet actricem et reum in ius vocari ad audiendam definitivam sententiam 70
44. Nuncius tertium memoratarum citationum exemplar ad tribunal remittit una cum expletae denuntiationis relatione. . . . . ib.
45. Legitur et publicatur sententia 71
46. Sacri foederis vindex appellationem interponit. . . 73
47. S. C. C. ratam habet sententiam primi gradus . . . ib.

ACTA SPECIMINIS TERTII.

48. Iudicii libellus . . . . . *pag.* 74
49. Libelli oblatio 75
50. Iudex actricis et rei parocho committit ut curet coniugum reconciliationem. . . . . ib.
51. Actrix ab instituta actione desistere renuit . . . . ib.
52. Iudex ad matrimonii defensorem ex officio transmittit acta causae 76
53. Sacramenti vindex iuramentum edit a lege praescriptum . . . . . ib.
54. Iudex actrici diem dicit ad examen subeundum . . 77
55. Citatio actrici denuntiata . . . . . ib.
56. Iudiciale actricis examen . . . . . ib.
57. Iudiciale pariter rei examen 81
58. Catalogus testium ab actrice productorum 83
59. Iudex testibus ab actrice inductis vadimonium denuntiari mandat 84
60. Citatio Aulo Nisi denuntiata. . . . . ib.
61. Iudiciale examen Auli Nisi 85
62. „ „ Lucidi Pepe 86
63. „ „ Francisci Lepori 87
64. „ „ Iulii Capri. 88
65. „ „ Antonii Mestichini. 89
66. „ „ Henrici Provenzali. 91
67. „ „ Iosephi Serventi. 92
68. „ „ Theophili Boni 93
69. „ „ Pauli Righi 94
70. „ „ Gasparis Micheli 95
71. „ „ Francisci Pergolesi 96
72. Publicatio processus 97
73. Defensio actricis . . . . . ib.
74. Animadversiones defensoris matrimonii ex officio . 98
75. Legitur et publicatur sententia 99
76. Appellatio actricis a sententia 100

ACTA SPECIMINIS QUARTI.

77. Libellus appellationis . . . . . *pag.* 101
78. Praefati libelli oblatio 102
79. Iudex ad matrimonii defensorem ex officio acta causae transmittit . . . . . ib.
80. Sacramenti vindex praestat iuramentum a lege praescriptum . . . . . ib.
81. Iudex citari mandat testes ab appellante inductos . ib.
82. Iudiciale examen Caietani Cagli 104
83. Item Laurentii Centi 109
84. Antonii Mestichini. 111
85. Nicolai Cagli 112
86. Victoriae Zeri. 113
87. Hygini Genuini 114
88. Henrici Provenzali. 115
89. Isidori Tomba 116
90. Aloisiae Trincia. 117
91. Gemmae Genuini 118
92. Defensio appellantis 120
93. Animadversiones in favorem matrimonii 123
94. Sententia legitur et publicatur 128
95. Sacramenti vindex provocat ad S. Congregationem Concilii 129
96. S. Congr. revocat sententiam curiae memmiensis . . ib.

PROOEMIUM

RATIO ET NOTIO OPERIS.

Duodeviginti annorum spatio, quo matrimonii iura apud sacram Congregationem Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ex officio vindicavi, raro vidi causas in prima disceptatione dirimi, sed E.mi Patres saepenumero iusserunt acta suppleri et aliquando novam prorsus inquisitionem seu processum confici.

Idque contigit quia moderatores actorum, etsi spectatissimi viri, sapientes tamen praxis forensis regulas ad veritatem in iudiciis dignoscendam tanta cura a maioribus nostris invectas minus callebant.

Neque id eis culpae vertendum est. Illas namque normas moderni iudices non discere possunt ex propriae curiae usu, quia superioribus saeculis perraro causae de nullitate aut relaxatione matrimoniorum agitabantur. Neque libros, in quibus dispersae sunt, sibi comparare ut plurimum valent, ad egestatem redacti proscriptionibus bonorum.

Huc accedit quod mores nationum et ecclesiasticorum tribunalium conditio decursu temporis adeo immutati sunt ut, certae leges, antiquitus

sive matrimonialibus sive aliis iudiciis accommodatae, iam nunc incongruae sint vel ad usum nulla ratione revocari queant.

Cum huc mentem adverterem, in eam sententiam facile descendi, ut pro certo haberem illum reipublicae christianae operam apprime utilem facturum, qui canones formulasque exactis aevis concinnatos ad novos populorum usus et sacrorum antistitum facultates aptaret ac ita disponeret ut inquisitoribus iudicibus in matrimoniorum potissimum causis sint velut *veni-mecum*.

Mallem quidem quaecunque alia quam matrimoniorum themata prae manibus haberi; at in nullis forsan causis aeque ac in sacri foederis vinculum concernentibus, episcopos, parochos ac omnes ecclesiasticos viros oportet esse versatos. Profecto in aliis ignorantia et error non solent ut in istis litibus perniciosos esse Ecclesiae et societati; nec in illis litigantes insidiandis iudicibus insudant ut in istis; quia nihil non pati potius parati sunt homines, quam sibi coniugem adhaerere, quem fastidiunt. Et quod deterius est, in tempora incidimus, queis in spem sacri vinculi dissolvendi extemplo eriguntur quotquot celebrati hymenaei poenitet. Quocirca urgemur omnes ut errorem ab illis depellamus, qui vanam fiduciam fovent; eos vero, qui iure a iugali nexu contendunt absolvi, viam quam sequi habeant, doceamus.

Igitur statim atque mihi licuit recreare animum a memorata matrimonii defensione, ante mentis oculos posui num ego, per tam longum et negotiosum tempus in quaestionibus huius-

modi versatus, quidpiam ad rem, etsi ingenio minimus, praestare valerem. Non exiguas certe mihi utilitates afferunt mille, quas pertractavi, connubiorum causae. Nonnullas itaque, ex illis selectas, in lucem edam. Multa tamen citra substantiam temperabo: resecabo otiosa, incongrua variabo et opportuna quandoque supplebo [a]. Quidquid vero occurret minus notum minusve definitum, sive respiciat factum sive ius, inspergam commentariis seu annotationibus.

Et mora haud interiecta quatuor causas, quas specimina nuncupabo, typis committam. In istis prudens lector habet pro causis, emanantibus ex impedimento *vis et metus*, quantum satis, tam in facto quam in iure; et ideam generalem pro aliis quoque litibus. Idipsum, si Deo placuerit, subinde aggrediar quoad nuptias ob alia impedimenta irritas et primum quoad dispensationes super matrimoniis ratis tantum.

---

a) Ii, quorum interest acta originalia perlegere, videant *pag. 146 fin.*

SPECIMEN PRIMUM

ARGUMENTUM.

Aulus Zerbi matrimonium a se initum cum Gaia Noli irritum proclamari postulat, affirmans puellam fuisse a matre ad nubendum coactam. Sacramenti vindex contendit Aulum a iudicii limine repellendum esse quia 1° tantum Gaiae, quippe quae vim passa dicitur, actio competeret; 2° Aulus actionem non prout de iure fundat. Ob hanc potissime rationem iudex decernit non esse locum procedendi ad ulteriora.

Ill.ma ac R.ma Curia Episcopalis [1] *Nennien.*

1. Aulus Zerbi Lutetiae Parisiorum natus, sed complu- Libellus iu-
ribus abhinc annis hac in civitate degens, intra fines paroeciae dicii.

[1] Libellus inscriptus est: " *Ill.ma ac r.ma curia episcopalis nennien.* „, quia dictio magis generalis, exempli gratia: " *Ill.me ac r.me iudex nennien.* „: videtur nimis vaga. Non desunt enim ecclesiastici iudices, quorum iurisdictioni non subsunt causae matrimoniales. Ad rem sacra Congregatio Concilii in instructione diei 22 augusti 1840 (§ 2) docet: " Cum a sacro Concilio Trid. *(sess. 24, cap. 20 de ref.* § *Ad haec)* ac etiam a S. M. Benedicto XIV *(Constit. Dei miseratione* § *4)* causarum matrimonialium cognitio quibusvis iudicibus inferioribus, non obstante quovis privilegio ac praescriptione, fuerit sublata, ac Episcoporum tantum examini et iurisdictioni reservata etiam prae Abbatibus vere Nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus iuxta S. Congregationis resolutiones, hinc tutius erit, ut nedum sententia proferatur, sed etiam acta processus per Episcopum, vel per ecclesiasticam personam specialiter ab eo delegandam conficiantur „. Contra inscriptio specialis: " *Ill.me ac r.me iudex causarum matrimonialium* „ quadrat quidem iudicibus dioecesum in quibus praesto est iudex pro-sacrorum foederum causis ab episcopo specialiter delegatus, sed inepta apparet ubi iudex huiusmodi desideratur.

Pluribus in locis iudicii libellus ad episcopum mittitur. Hoc certe improbare non audeo; at minus congruet ubi sacrorum antistes, ne curis

Beatae Virginis Mariae ab Annuntiatione, 6 via Nennia [2], exponit et instat prout sequitur.:

Die 25 iunii 1887 in aetate annorum 30 constitutus orator Gaiam Noli annos septemdecim natam [3] matrimonio sibi coniunxit *(alleg. n. 1)*.

---

saecularibus impeditus, verbo et ministerio Dei circa oves sibi concreditas vacare haud possit, contentiosum forum curiae praesidi, (qui hic illic vicarius in spiritualibus generalis alibi aliis nominibus appellatur) sueto amplissimo mandato, causis connubiorum minime exceptis, committit. Quod si episcopus controversias sin minus matrimoniales per seipsum cognoscat, formula " *Ill.ma et r.ma curia* „ nihilominus convenit, quia curiae princeps ille est. Quinimo rei veritati respondere apprime videtur. Ad gravissima enim et fere inexctricabilia huius generis expedienda negotia sacer praesul sive sententiam tantum ipse proferat, sive inquisitioni quoque praesit, semper adhibet delectos probitatis et iurisprudentiae proceres, qui episcopalem curiam constituunt.

Nec inepta dictio nostra censenda est, si episcopus ecclesiastico viro extra gremium curialium selecto cognitionem causae alicuius coniugii committat. Vir enim sic electus, ipso facto ad curiam pro hoc expediendo negotio adiungitur.

[2] Hae circumstantiae ideo expositae sunt, quia moderatores actorum prudenter agent, si de actoris religione, vita et moribus, priusquam circa libellum quidquam decernant, certiorentur; quam ad rem ut plurimum audiant oportet proprium illius parochum. Et contingere potest ut animarum curator desideratas notitias absque negotio praebere nequeat, si actoris sedes haud quadrate designata sit.

a) Deinde, in iudiciis *quasi-contrahitur*. Aequum autem est ut ille, qui quasi-contractum intentata actione solicitat, iudici et reo praesidia suppeditet, quibus ad exitum perduci et obligationes exinde enascentes executioni mandari expedite queant; ad quod requiritur ut actoris domicilium sin minus pateat.

b) Postremo, domiciliorum quamvis species complures in iure recenseantur, habitationem prae aliis iudicavimus, ob rationes in principio annotationis expositas. Nihilominus in iudiciis admittitur vel domicilium electum. Ridolphin. *praxis iudiciar. par 1, cap. 4, nn. 6 et seq.*

[3] Aetas amborum coniugum semper exprimenda venit, quia matrimonialibus in causis esse solet circumstantia momenti plus minusve gravis. Idque multo magis in praesenti, cum metus illatus dicatur feminae tenellae aetatis. Tralatitium namque est comminationes in mulieres ac adolescentes factas naturam metus cadentis in constantem virum quandoque nancisci, etsi talis minime habeatur, si de viris aut in matura aetate constitutis res esset. Praesupponendum est, ait Barbos. *vot. decis. lib. 2, vot. 17, n. 103.*

At nuper cognovit a teneris unguiculis puellam alium iuvenem deperiisse; et invitam ac reluctantem, a matre compulsam, denupsisse recurrenti.

Coniugalem fidem, quam scribenti non sponte illa promiserat, minime servavit; et orator postquam pluries ad bonam frugem reducere uxorem frustra conatus fuerat, ei tandem nonnullis abhinc mensibus valedixit. Nunc vero efflagitat ut connubium irritum decernatur.

Ad hoc in praesentiarum exhibet epistolam a Lucia Noli Gaiae matre, ad quandam Sophiam, in illarum domo tempore tractatuum matrimonialium cubiculariae officio fungentem, die 21 martii 1896 datam; qua ex epistola liquet ipsasmet, ream eiusque matrem, persuasum sibi habere coniugium nullitatis vitio tabescere ex capite *vis et metus (alleg. n. 2)*.

Ita petit et instat, deducens in praemissis omne suum ius et remedium sibi undecumque, quomodocumque et qualitercumque proveniens, non solum hoc, sed et omni alio meliori modo [4].

---

minorem metum sufficere in foemina ad annullandum matrimonium, quam in viro, et multo minorem quando fuerit tenerae aetatis, et imbecillis vel fragilis animi.

[4] Haec clausula, invecta a maioribus nostris nec a modernis causarum patronis neglecta, non adeo necessaria est ut iudex habere debeat tanquam defectivum libellum ea destitutum, sed multa emolumenta importat, quae enucleat praesertim Barbosa *de clausulis,* usu frequent., *clausul. 95, nn. 22 et seqq.*: (ibi) " In libello posita operatur, ut officium iudicis censeatur imploratum, et quod omnia arbitrio iudicis conseantur remissa, ita ut cesset incertitudo ¡vel contrarietas..... Operatur ut omnis actio et omne officium iudicis censeatur intentatum absque aliqua expressione actionis vel officii iudicis..... Extendit etiam impropriando verba, quod potius actio competens apta sit intentata, quam conclusio inepta..... Tollit ineptitudinem libelli..... Operatur ut in casu dubio libellus interpretetur eo modo, qui favorabilior est actori libellanti..... Operatur quod remedia contraria possint cumulari, et quidquid ex narratis resultat, censeatur conclusum prout idem est in clausula, petens etc., et tunc sententia potest fieri non conformis libello..... Et etiamsi in libello spolii unum remedium non competens esset expressum, si adest haec clausula, censeatur etiam deductum omne aliud remedium..... Tollit contrarietatem et incertitudinem libelli, quia operatur, ut officium iudicis dicatur imploratum et omnia in arbi-

Die 10 iulii 1897.

Libelli oblatio.

2. A domino Aulo Zerbi exhibiti sunt suprascriptus libellus et duo allegata, quorum sequitur tenor:

Alleg. 1.

Testimonium de matrimonii celebratione.

3. Ego infrascriptus parochus ecclesiae Beatae Virginis Mariae ab Annuntiatione, dioecesis N., fidem facio qualiter in libro matrimoniorum dictae ecclesiae fol. 33 adest sequens particula, videlicet: " Anno 1887, die 25 mensis iunii, denuntiationibus praemissis tribus continuis diebus festivis, quarum prima die 1, secunda die 8, tertia die 15 memorati mensis, inter Missae parochialis solemnia habitae sunt; nulloque legitimo impedimento detecto, ego Laurentius Conti, rector parochiae B. V. M. ab Annuntiatione, civitatis N., Aulum Zerbi filium Stephani Zerbi et Angelae Sesterzi, eius uxoris, in paroecia N. loci N. die 10 ianuarii 1859 hora 5 post meridiem aqua salutis ablutum, ac Gaiam Noli filiam Amedei Noli et Luciae Capocci, iugalium, die 15 iulii 1870 hora 9 matutina hac in parochia fonti sacro admotam, in ecclesia interrogavi, eorumque mutuo consensu habito, solemniter per verba de praesenti matrimonio coniunxi, Ianuario Lo Greco et Francisco Caruso testibus. Postea eis ex ritu S. Matris Ecclesiae benedixi. Ego Laurentius Conti rector parochiae B. V. M. ab Annuntiatione manu propria „.

In quorum fidem praesentes literas mea manu subscripsi et sigillo ecclesiae parochialis munivi. Datum ex aedibus parochialis ecclesiae B. V. M. ab Annuntiatione 2 iulii 1897.

Loco † sigilli.

Ego Fulgentius Lopez
supradictus parochus manu propria [5].

---

trio illius conclusa..... Operatur, quod libellans censeatur deduxisse omnia narrata et non se restrinxisse ad conclusionem, si non competit..... Operatur tam in agente quam in excipiente; ideo excipiens repellendum actorem *omni meliori modo etc.* habet intentum, si actor audiri non debet, licet non repelli „.

[5] Ratio, ob quam in praenarrata parochi fide transcripta est de verbo

Alleg. 2.

Conamina, quibus mater actricem ad nuptias adduxit.

4. Cara Sophia, Aulus Zerbi amore correptus erga quandam mulierem, valedixit filiae meae, Gaiae; et a laico magistratu iam petiit dissolvi civile vinculum. Ad episcopum ego confugiam ut matrimonium casset.

Puto memoriam tibi adhuc vigere me quasi per insidias " *en quelque sorte par surprise* „ Gaiam adduxisse ad nubendum Aulo. Ego credidi recte facere: arbitrata sum filiam meam ad felicem vitam evehere, omni illam incunditatis genere cumulare iisque eam in aevum praesidiis abundaturam, quibus maiora in orbe terrarum nulla esse possunt. Opinio mea me multum fefellit, toto coelo erravi.

Dicere possum me vi in matrimonio filiam collocasse; et illam passive se habuisse ne luctari deberet. Sed filiae meae felicitas summum erat omnium, quae optarem in vita; et decepta sum.

Necesse itaque est ut modo a misella calamitatem propulsem, quam ei attulit Aulus; et hanc ob causam matrimonium ab Ecclesia nullum declarari contendo. Dic mihi, quaeso, num possim tuo testimonio confidere, quoniam praeter te non est fere alius, qui ita de re instructus sit, ut omni conscientia et veritate dicere queat me voluisse et fecisse matrimonium illud, Gaiam autem solummodo consensisse, ne luctari haberet; brevi, me illam obligasse ad virum sibi Aulum Zerbi adiungendum.

---

ad verbum partita celebrati matrimonii, liquet ex Barbos. *de offic. et potest. paroch. part. 1, cap. 7, n. 21:* (ibi) " Fides *(extracta per Parochum ex suis libris),* ut in iudicio probet est necessario facienda cum formali transcriptione partitae de verbo ad verbum sicut iacet, praemittendo haec verba videlicet, *Ego N. infrascriptus Parochus Ecclesiae Sancti N. de N. fidem facio qualiter in libro defunctorum dictae Ecclesiae, fol..... adest sequens partita, videlicet, die.... etc. In quorum fidem, etc. Datum etc. Ego N. de N. Parochus supradictus manu propria.* Aliter autem facta fides, seu attestatio Parochi, quibuscumque verbis concepta sit, absque formali, ut supra, transcriptione partitae, non probat „.

Ista filiae calamitas post mortem dulcissimi ac desideratissimi filii mei! et haec omnia uno eodemque labente anno! miraculum est, nisi tot infortuniis perimar.

Rescribe mihi an parata sis reddere pro me veridicum testimonium tuum. Aerumnoso nam tempore numerantur amici. Cura ut valeas [6].

Datum Florentiae die 21 martii 1896.

Tuissima Lucia Noli.

(Foris) Ad dominam Sophiam N.
Burdigalam. *(Vid. infra not. 16).*

Gabinus Maggi, actuarius.

---

[6] Praecedens documentum Aulus libello inseruit, quia iudex reum tum tantum in ius vocat, cum actor aliqua ratione ostenderit petitionis suae summam veri esse similem. Quod in foro audit actionem seu intentionem suam fundare. Ad rem S. Rota *decis. 115, n. 1, par. 6, recent.* monet: " Actor prius tenetur fundare intentionem suam „ ; Barbos. *axioma 128* " Intentionis suae *(inquit)* fundamentum quilibet probare tenetur..... qualitas ubi est fundamentum intentionis alicuius debet prius probari..... intentionem suam qui non probat, dicitur carere iure „.

a) Hoc suo quisque intellectu facile percipit; sed herculis labor, quo iudicum mens semper torquetur in casibus particularibus, est definire num actori, ei nempe qui prior in iudicium venit, aliquid petiturus; seu potius reo, illi scilicet, quem actor in ius vocat et a quo quidquam petit, onus incumbat probandi sive fundandi intentionem suam.

b) Regula generalis est ut id facere teneatur actor. Audire praestat Card. De Luca in celeberrimo opere, *theatr. verit. et iustit., disc. 2, n. 17, de iudic.:* (ibi) " Praecipuus omniumque maior effectus est ille circa onus probationis, quod actori incumbit, quoniam reo sufficit vincere, fugiendo, per non ius actoris, quo perfecte et concludenter non probante id, quod est suae actionis vel intentionis fundamentum, reus absolvitur. Idemque procedit ubi aequales essent probationes utriusque, cum semper in pari causa potior sit conditio rei. Quinimo, neque hic aequalis probationis onere premitur, sed ei sufficit cum eius probationibus, offuscare dubiasque reddere illas actoris, ita impediendo ne ad perfectionem, seu conclusivam qualitatem perveniant „.

c) At in decursu causae usuvenit ut reus exceptiones limitationesve proponat, quae probationibus opus habeant; tunc nec is auditur, nisi prius fundet intentionem suam. Redeat De Luca *loc. cit., disc. 22, n. 10:* (ibi) " Super probationis onere non incumbit illi, qui est actor in causa, *illius*

Die 11 iulii 1897.

Episcopus nominat matrimonii defensorem, cuius votum super intentata actione iudex exquirit.

5. Ill.mus et r.mus dominus Iustinus Senni decrevit: " Exquiratur votum defensoris matrimonii ex officio „; et ad dominum Severinum di Legge mitti mandavit praecedens decretum una cum iudicii libello et duobus allegatis, sub nn. 3 et 4 transcriptis, atque sequenti ill.mi et r.mi in Christo Patris Episcopi epistola, quae sic iacet:

" Dilecte fili, iuris scientiam pariter ac vitae probitatem, queis commendaris, probe noscentes, munus tuendi matrimonia, quae apud episcopalem curiam nostram in controversiam adducuntur, tibi committere statuimus, prouti per

---

substantiam considerando; sed illi, qui est talis in ea re, quae allegatur pro intentionis fundamento. Si enim actor in causa, iam in probationibus factis vel in assistentia seu in dispositione iuris, eius intentionem vel actionem fundaverit; reus autem pro actione elidenda exceptionem exigat, tum ipse reus in hac parte, actoris partes gerere dicitur „.

d) Cum actor vel reus probationibus operam dederit, arduum ut plurimum est diiudicare num per in medium allata documenta intentionem suam ille reapse fundaverit. Ad hoc iudex probe distinguet inter discussionem et adiudicationem rei in controversiam adductae. Longe enim leviora argumenta, ceu perspicuum est, sufficiunt ad illum quam ad hunc scopum.

e) Profecto quamvis sive actori in ius vocare reum sive reo exceptionem ventilare non consentiet iudex, si factum, in quo intentionem fundant, tale sit, ut licet nihil ex adverso probetur, is qui illud producit, non possit obtinere sententiam favorabilem; *(Card. Raucher, instruct. pro iudic. ecclesiast. quoad caus. matr. § 157);* attamen et actorem ad contestandam litem et reum ad exceptionem disceptandam admittet, si commendentur fumo veritatis (De Luca passim) aut causa secundum iuris definitionem verisimili *(Calvin. lexic. iurid. v. Inquisitio)* aut assistentia iuris; quam ad rem S. Rota *decis. 472, n. 1, part. 3, rec.* docet: " Ille dicitur habere fundatam intentionem, qui est in eo statu ut, si nihil ex adverso probetur, possit obtinere sententiam favorabilem „.

f) Contra ubi iudex litem per sententiam definitivam dirimit, illum tantum intentionem suam fundasse censet, qui eo pervenit ut res ab ipso propugnata, iusta putanda sit, quippe quae factis innititur, quorum summa, iudicialibus iam expletis tramitibus, pro veritate ex praescripto legis habenda est.

praesentes literas tibi committimus, ad tramites constitutionis *Dei Miseratione* Benedicti papae XIV [7] „.

Iustinus Senni, Vicarius Generalis.
Gabinus Maggi, actuarius.

Die 12 iulii 1897.

Sacramenti vindex iusiurandum concipit.

6. Apud iudicem sistit r. d. Severinus di Legge, qui monitus de iuramento ex praescripto constit. *Dei miseratione* praestando, sic iurat:

" Ego Severinus di Legge spondeo, voveo ac iuro commissum mihi officium validitatem matrimonii tuendi, fideliter executurum omniaque deducturum voce et scriptis, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia [8] „.

Iustinus Senni, vic. gen.
Gabinus Maggi, actuarius.

---

[7] Citata constitutio *Dei miseratione,* ad rem habet: " Constituimus, decernimus ac iubemus, ut ab omnibus et singulis locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus persona aliqua idonea eligatur, et, si fieri potest, ex ecclesiastico coetu iuris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae matrimoniorum defensor nominabitur, cum facultate tamen suspendendi, si iusta causa adfuerit, et substituendi aliam aeque idoneam, et iisdem qualitatibus ornatam, quod etiam fieri poterit quotiescumque persona ad matrimoniorum defensionem destinata, cum se agendi occasio obtulerit, erit legitime impedita „.

[8] Cit. constitutio *Dei miseratione* § 6 *et seq.* disponit: " Ad officium defensoris matrimoniorum huiusmodi, ut supra electi, spectabit, in iudicium venire quotiescumque contigerit, matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo iudice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu iudiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri eaque omnia deducere quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit „.

" Et demum defensoris huiusmodi persona, tamquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio sive unus, sive ambo, quorum alter pro nullitate, alter vero pro validitate veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi commit-

Die 14 iulii 1897.

Ille censet Aulum a limine iudicii reiiciendum.

7. In executionem decreti, de quo supra in *act. diei 11 iulii 1897* r. d. Severinus di Legge, defensor matrimonii ex officio, actis consignari mandat votum, in haec verba scriptum :

Perlectis libello et duobus documentis eidem annexis, in eam descendi sententiam ut Aulus Zerbi a iudicii limine repellatur.

Advertendum in primis namque est ad tradita per S. Cong. S. R. U. Inquisitionis *(Instruct. diei 20 iun. 1883 artic. 3 de impediment. vis et metus)* non Aulo Zerbi, si coniugii valor in dubium ex capite *vis et metus* revocari posset, actionem competere, sed tantum Gaiae Noli, quippe quae metum passa esset. Ecce verba cit. instructionis : " Circa impedimentum quod *vis et metus* dicitur, ante omnia advertendum occurrit, neminem a iure admitti ad matrimonium ex hoc capite impugnandum, nisi qui violentiam et coactionem passus dicitur [9] „.

---

tetur, iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praestabit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa declaramus, ac pro nullis, cassis ac irritis haberi volumus, perinde ac si citata, et intimata non esset pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat „.

[9] Recitatum textum in praesenti prout etiam in aliis causis ob E.morum Patrum oculos posui, quia sive summam, qua sancti officii Congregatio praestat, auctoritatem inspicias, sive rotunda, quae adhibet verba, apodicticus apparet. Et Benedictus XIV in celebri constit. *Dei miseratione* districte iubet sacramenti vindicem omnia deducere quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.

a) At dicere non audeo E.mos Iudices hoc argumento commotos fuisse. Imo in promptu sunt S. C. Concilii resolutiones, quibus connubium ex capite *vis et metus,* cassatum est quamvis actor contenderet non se, sed alterum coniugem nuptias metu fecisse. Ne longe abeam S. Congregatio irritum censuit matrimonium, praetendente viro mulierem sibi denupsisse invitam, *in Burdigalen. nullit. matrim. diei 19 Decembris 1902.*

Deinde, nec is, qui obnoxius metui fuisse perhibetur, ad agendum adversus connubium admittitur, nisi prius fundet intentionem suam, ceu docet Barbos. *tract. var., axioma 128,*

---

b) Nec levia videntur rationum momenta, quibus S. Concilii Congregatio innititur, dum ad agendum adversus coniugium alios etiam praeter vim passum admittit. Licet enim in quavis causa a iudicii limine repellendus sit actor, nisi prius doceat sua interesse et licet matrimonium cassari eius potissime ut plurimum intersit, qui vim passus est, attamen alter etiam coniugum damnum persentit ex quo connubium irritum non cito dissolvatur, aut valor eius in suspenso maneat ad vim passi arbitrium. Quinimo animadvertendum est reipublicae et proinde omnium civium interesse ne mas et femina in connubio notorie iuris robore destituto versentur. Ideoque necessitas actoris stricto sensu sumpti cessat in re praesenti; competens enim iudex a quocunque excitetur, si causa suppetat secundum iuris definitionem verisimilis, ex officio inquirere habet. " Ecclesia *(inquit E.mus Raucher loc. cit. § 114),* utpote fidei ac morum custos, matrimonii invigilat sanctitati..... Quodsi catholicus homo in coniunctione vivat, quae, cum impedimentum dirimens ei obstet, matrimonii nomen perperam usurpet, ipsa ad veri matrimonii dignitatem elevari aut, quando id fieri nequeat, invalida pronuntiari ac dirimi debet „.

c) Omnem dubii nubeculam profligat causa *Romana matrimonii, diei 11 ianuarii 1868,* apud S. Congregationem Concilii ventilata; in qua agebatur de matrimonio, a catholico viro cum muliere lutheranae sectae addicta, die 20 septembris 1862 Lutetiae Parisiorum inito. Delatum fuit nupturientes coram parocho contraxisse, cuius in paroecia neuter domicilium aut quasi domicilium quaesierat; ideoque valori connubii obstare dispositionem Concilii Tridentini *cap. 1, sess. 24 de reform. matr.*

d) In sequelam praedictae denuntiationis S. Congregatio auctorante SS.mo die 19 iunii 1865 *Decrevit ac mandavit:* " ut causa proponatur in S. Congregatione oeconomice cum votis Theologi et Canonistae et cum animadversionibus Defensoris matrimonii. Deputavit insuper in specialem procuratorem fiscalem sacerdotem Aloisium N. I. U. D. ad effectum ut praemissis actis necessariis et opportunis pro causae propositione, legem Tridentinam *cap. 1, sess. 24 de reform. matr.* super clandestinitate voce ac scripto strenue coram eadem Sac. Congregatione defendat „.

e) Deinde per publicam romanam ephemeridem neo-coniuges in ius condixit " ad comparendum coram R.mo P. D. Pro-secretario, et audiendum concordari dubium coram S. Congregatione disputandum nec non destinari Congregationem, qua eadem causa proponatur „.

f) Tandem plenariis in comitiis disputato dubio: " An constet de validitate matrimonii in casu „, die 11 ianuarii 1868 Sacra Congregatio distulit resolutionem. Et cum non causa amplius redierit, puto coniuges ex

voc. Intentio, num 1 et seqq.; S. Rot. *Decis. 115, n. 1, par. 6 et decis. 472, n. 1, par. 3 recent. et alibi;* De Luca in celeberrimo opere *Theatr. verit. et iustit. passim;* Calvin. *Lexicon. iurid. voc.,* Inquisitio ac E.mus Raucher archiepiscopus vindobonensis, *instruct. pro iudic. eccles., quoad caus. matr. § 137.*

Iam vero ex Luciae, matris Gaiae Noli, literis *(alleg. 2),* quibus Aulus innititur, haud liquet Gaiam ad nuptias a matre compulsam fuisse metu cadenti in constantem virum. Porro Lucia memorata in epistola emeritam cubiculariam Sophiam sic affatur: " Puto memoriam tibi adhuc vigere me *quasi* per insidias Gaiam adduxisse ad nubendum Aulo..... *Dicere possum* me filiam vi in matrimonio collocasse et illam *passive se habuisse ne luctari deberet* „.

Nec effugiat Gaiae matrem eo temporis momento, quo scripsit documentum illud, solutionem sacri foederis habuisse quasi unam tabulam, qua filiam a naufragio eripere posset: "Necesse est *(ita illa)* ut modo a filia calamitatem propulsem, quam ei attulit Aulus; et hanc ob causam matrimonium ab Ecclesia nullum declarari contendo „. Ideoque mater ita animo comparata, non haesitanter, sed verbis rotundis metum illatum affirmasset, si reapse illum filiae incussisset.

Quocirca pars illa, quam in conciliatione connubii exercuit mater, violentiae seu metus, in constantem virum cadentis [10], illationi accenseri iure non potest. Ad summum ali-

---

Eminentissimorum Patrum voto formam a Tridentina lege praescriptam ad iuris tramites subinde supplevisse.

g) In adducta causa Romana non res quidem est de *vis et metus,* sed de *clandestinitatis* impedimento. At S. Congregationis, dum contra coniuges illos actionem instituit, mens certe fuit sedare publicam offensionem, ad quam ansam praebebat illorum cohabitatio sub obtentu sacri foederis, quod umbratile dictitabatur. Quae ratio, cum aeque militet, quando coniugium nutat *vis metusve* causa, iudiciaria inquisitio ex officio isto quoque in casu obtinere videtur. Ubi enim eadem est ratio, ibi eadem esse debet iuris dispositio, *Barbos. axioma 197.* Videsis clarum Lega *praelect. in text. iur. canon. tom. 4, nn. 460 et seqq.*

[10] Sabellius, *summ. divers. tract. cap. Metus n. 3,* auctor est: " Metus iustus, cadens in constantem virum, ut talis dicatur quinque conditiones

quibus fortasse suasionibus, precibus ac increpationibus, seu modica coactione, quae ex receptissima doctorum sententia convenit parentibus, mater usa est [11].

Quae cum ita se habeant, submisse puto Aulum ad impugnandum matrimonium ex praescripto legis minime admitti posse; sed adducendum esse ad restaurandam concordiam atque coniugalem cohabitationem, ecclesiasticis etiam, quatenus opus fuerit, adhibitis poenis.

Datum Nennii die 14 iulii 1897.

Severinus di Legge
Defensor matrim. ex officio.
Gabinus Maggi, actuarius.

---

copulative requiruntur. Prima ut malum quod timetur sit grave; secunda ut aestimatio mali sit fortis, idest ut timens non vane aut leviter credat malum illud sibi imminere, sed probabiliter; tertia ut metum incutiens potens sit minas exequi, cum non sit viri constantis ac fortis quibuscumque minis terreri ac trepidare ubi non est timor; quarta ut sit solitus exequi minas; secus si sit homo iactabundus et facilem iram deponens; quinta ut timens non possit facile occurrere malis, quae sibi timet imminere; quia si posset alia ratione mederi non est iustus metus „. Schmalzgrueber, *ius canon. part. 5, tit. 40, n. 3* concludit: " Ex quo sequitur quod omnis ille metus, qui quinque conditionibus instructus non est, non sit gravis metus respectu illum patientis „.

[11] Profecto hoc impedimentum matrimonium dirimens profluit ab illo praetoris edicto: *Quod metus causa gestum erit ratum non habebo.* Hinc sedulo advertendum est praetorem tum tantum hoc edicto succurrere, cum agitur de damno gravi idest de gravi iniuria. Scilicet iniuria est conditio sine qua non. Quod si iniuria sit levis, subintrat axioma " de minimis non curat praetor „. In multis enim offendimus omnes. Porro iurisconsultus Paulus in *l. 3 et seq. ff. Quod metus causa* scribit: " Continet haec clausula et vim et metum: et si quis vi compulsus aliquid fecit, per hoc edictum restituitur. Sed vim accipimus atrocem et eam quae adversus bonos mores fiat: non eam quam magistratus recte intulit, scilicet iure licito et iure honoris, quem sustinet. Ceterum si per iniuriam quid fecit populi romani magistratus vel provinciae praeses, Pomponius scribit, hoc edictum locum habere: si forte, inquit, mortis aut verberum terrore pecuniam alicui extorserit. Ego puto etiam servitutis timorem similiumque admittendum „.

In lege vero 21 *eod.* idem Paulus adiicit: " Si mulier contra patronum suum ingrata facta, sciens se ingratam, cum de suo statu periclitabatur, ali-

Die 16 iulii 1897.

8. Ill.mus et r.mus dominus Iustinus Senni, vicarius generalis, iussit acta ablegari ad admodum r.ndum dominum Coelestinum Bonservizi rectorem paroeciae Beatae Virginis Mariae ab Annuntiatione, eique committi ut Aulum Zerbi

Iudex iubet hortari actorem, ut ab actione recedat.

---

quid patrono dederit vel promiserit, ne in servitutem redigatur, cessat edictum, quia hunc sibi metum ipsa infert „.

a) Divus autem Thomas *suppl. q. 47, a. 3* rationem enucleat ob quam matrimonialis contractus, si metu inficiatur, non subiaceat rescissioni, sed sit ipso iure irritus: (ibi) " Vinculum matrimonii est perpetuum, unde illud quod perpetuitati repugnat, tollit matrimonium. Metus autem, qui cadit in constantem virum, perpetuitatem contractus tollit, quia potest peti restitutio in integrum; et ideo haec coactio metus, quae cadit in constantem virum, tollit matrimonium et non alia „.

Et Leurenius in suo opere *for. ecclesiat. lib. 4, quaest. 96* quaerit: " Consensus matrimonialis qualiter debeat esse liber a metu, et num is reddat matrimonium invalidum „; et respondet: " Tametsi in aliis contractibus metus gravis iniuste incussus nullitatem ipso iure non inducat, sed ad summum reddat rescindibilem, inducit tamen eam in matrimonio, cap. *Cum locum,* cap. *Veniens h. t.* Ratio est, quod alii contractus, etsi validi, rescindi possint auctoritate iudicis; matrimonium semel validum nulla auctoritate humana rescindi potest. Secus tamen est, si metus sit iuste ac licite incussus; eo quod tunc metus non tam infertur ab extrinseco, quam ab ipso patiente metum, qui illius causam dedit „. Neque tam incutitur metus ad extorquendum consensum, quam contractus proponitur, ut medium evitandi metum, seu potius malum intentatum, cuius ipse causam dedit.

b) Sanchez *de matrim lib. 4, disput. 13, n. 8* docet etiam metum dici iuste illatum, quando illum incutiens prudenter credit talem esse, etsi revera et a parte rei compulsio illa sit iniusta (ibi): " Tandem adverto non tantum valere matrimonium, cum iudex iuste revera et a parte rei compellit ad illud, sed quando iuste secundum allegata et probata; verbi gratia, aliquis fidem dedit de matrimonio feminae, quae postea fornicata est, quod cum probare nequeat, sponsus compellitur illam ducere, quamvis secundum rem haec compulsio est iniusta; cum ille ratione fornicationis esset ab obligatione sponsalium liberatus; quia tamen est iuridica et iusta secundum allegata et probata, non vitiat matrimonium: non enim est credendum ius canonicum, quod in hoc casu compelli praescribit, velle ut compulsione matrimonium irritetur. Et e contra intelligo non valere, si iudex iniuste secundum allegata cogat, quamvis in re iustum esset; quia est iniuria ...

alloquatur ac studeat illum adducere ad desistendum ab actione adversus matrimonium instituta, et ad habitationem coniugalem cum Gaia Noli restaurandam [12].

Tandem idem Sanchez *loc. cit., disput. 22, n. 4* concludit: " Non possunt parentes cogere filios ad matrimonium, vel ad tales nuptias, sed libere contrahere debent, vel alium statum eligere. Sic fatentur omnes ex D. Thoma, *4, dist. 29, quaest. unica, artic. 4* „. Deinde subdit: " Intellige conclusionem, de metu cadenti in virum constantem, potest enim pater increpatione paterna cogere filium ad certum matrimonium „. Sic tenet Goffredus *summa tit. de desponsat. impub. n. 12,* ubi haec ait: " non potest pater absolute cogere, sed modica coactione, scilicet increpatione paterna „.

[12] Huiusmodi decreto, ut in oculos insilit, iudex Aulum immunem reddere obnititur ab incommodis litis, monitis inhaerens S. Caroli *(Concil. 6 Mediolan.):* (ibi) " Antequam litis reive alicuius iudicium constituatur, studeant (ecclesiastici iudices) omni aequitatis officio paternoque consilio lites dirimere, controversias sedare et transactionibus litigantes reconciliare „.

α) Et huc pertinent quae diligenter disputat Barbos. *de off. et potest. episc., alleg. 79, nn. 1 et seqq.:* (ibi) " Circa inimicitias, quae nascuntur in episcopatibus, debent episcopi summopere vigilare, quomodo illas componere possint, qui si negligentes fuerint in revocando discordes ad concordiam, peccabunt mortaliter, quamvis in aliis sit veniale..... Potest item episcopus per censuras compellere etiam laicos, qui diu fuerunt discordes, et adhuc inter eos discordia durat, ut ad pacem et concordiam deveniant, postquam eos prius admonuerit..... Itemque sub peccato mortali tenetur violatores pacis excommunicare..... Ita et quilibet iudex laborare debet ne lites protrahantur, et summopere curare eas componere pacemque omni cura inter omnes quaerere..... Pium enim et sacerdotale munus est ancipites controversias componere..... Publica utilitas postulat ut lites finiantur..... Ad conservationem enim congregationis humanae spectat, ut illae terminentur..... Unde dictum emanavit, qui minuit lites, minuit peccata..... Occasio igitur litium amputanda est „.

Dices fortasse, in causis matrimonialibus quandoque iudex actorem deterrere ab agendo non solum minime debet; quinimo ex officio ad separandos pseudo coniuges ipse procedere tenetur, quando notoria est connubii nullitas et tale impedimentum matrimonii valori obstat, ut nulla ratione verum coniugium inter eos consistere possit. Utique: sed rarissimi sunt huiusmodi casus; et de hoc nonnihil diximus in not. 10. Heic res est de coniugibus, qui in leves auras amandare pertentant connubia, quae legitima sunt, aut possunt, accedente amborum vel alterutrius coniugum consensu, revalidari.

Perite E.mus Raucher *op. alias cit.* § *133 et seqq.* disponit: " Quodsi impedimentum in ius adductum tale sit, ut quomodocumque res se habeat,

Quatenus vero Aulus pertinaciter in proposito impugnandi coniugii perseveret, r.ndus parochus eidem ob oculos ponat gravissima mala, quibus litigantes obnoxii sunt. Quod si animarum curator expedire in domino iudicet Aulo significare etiam desperatam esse, quam fovet, causam, ita se gerat, ut Aulus existimet parochum ex propria, non autem ex vicarii generalis seu iudicis, dum ad causae meritum descendit, sententia loqui [13].

Iustinus Senni, vic. generalis.
Gabinus Maggi, actuarius.

---

consensus certe coniugis matrimonium accusantis ad ipsum removendum sufficiat, ordinario coniugum animarum curatori aut pro rerum et personarum conditione alii sacerdoti iniungendum est, ut admonitionibus opportunis partem matrimonium impugnantem ad consensum renovandum inducat vel etiam pro re nata obtineat, ut consensus declaratio coram parocho et duobus testibus iteretur.

" Referat, cui negotium commissum est, ad tribunalis matrimonialis praesidem conaminum exitum, et quando coniux matrimonium impugnans consilio capto insistat, superaddat, quaecumque de factis, a quibus valor matrimonii accusati dependet, comperiri potuit.

" In quantum emergentibus impedimentis, quae coniugum consensu removeri nequeant, praevie cooperatio quaedam animarum curatoris disponenda veniat, a conditione casus et prudenti tribunalis matrimonialis iudicio dependebit.

" Coniugum altero matrimonium accusante, praeprimis inquirendum est, an forsan ea obtineant rerum adiuncta, ut, si actor unquam reclamandi ius habuerit, nunc certe temporis eodem exutus sit: quod quando extra dubium sit positum, actio haud admittatur.

" Ubi accusatio matrimonii facto innitatur, quod, licet verum undequaque esset, nihilominus aut absolute aut sub circumstantiis ab ipso actore expositis matrimonium irritando impar foret, accusatio absque ulteriori inquisitione repellenda est.

" Fieri potest, ut factum cui accusatio innititur, veritate quidem eiusdem supposita matrimonium irritaturum foret, attamen assertionis falsitas in propatulo sit. Tali casu actor de rei statu edocendus et ut ab accusatione desistat commonendus est. Obsequium ipso detrectante, nisi forsan, quae afferat, aperte inepta vel absurda sint, accusatio per conclusum a tribunali matrimoniali debita forma conditum reiiciatur oportet „.

[13] Clausula haec decreto ideo adiecta est, quia iudicem decet non facile de bono aut malo litigantium iure opinionem animo concipere minusque eam ante legitima tempora cuiquam manifestare.

Ill.ma et R.ma Curia Episcopalis.

Aulus ab actione desistere recusat.

9. Iussa faciens istius Ill.mae et R.mae Curiae literis diei 16 huius mihi enunciata, arcessivi Aulum Zerbi, qui aerumnosi matrimonii historiam mihi narrare voluit, ut aiunt, ab ovo.

Lucia, Gaiae mater, inquit Aulus, multo abhinc tempore divertit a viro, et conturbernium iniit cum Marco N., cui,

---

a) Quapropter cum aliquem a lite deterrere per seipsum contendit satius est ut iis insistat, quae colligit Barbos. *loc. cit. nn. 12 et seqq.:* (ibi) " Nihil ita est simile daemonum moribus, quam litigare..... Litium enim introductio, criminum occasionem et alia detrimenta praebet..... est causa multorum malorum..... Unde lites dicuntur flagella hominum durissima..... Pulchre ideo dicebat beatus Ivo advocatorum patronus..... quod in controversiis causarum corporales inimicitiae oriuntur, fit amissio expensarum, labor animi exercetur, corpus quotidie fatigatur, multa et inhonesta crimina inde consequuntur, bona et utilia opera postponuntur, et qui semper credunt obtinere, frequenter succumbunt, et si obtineant, computatis laboribus et expensis, nihil acquirunt, unde tutior est pax, incerta victoria, quia satis lucratur, qui se a litibus eximit..... Hinc Cicero laudat Servium Sulpitium, non tam ob admirabilem et pene divinam iuris scientiam, quam quod semper maluerit litium controversias tollere, quam actiones instituere „.

b) " Plurimos hac tempestate advocatos fora nostra enutriunt quos in perniciem ali Reipublicae et ad bonas causas male perdendas natos esse credas, quippe quod ad eos nulla alia ratione eatur frequentius, quam quod minoris multo caeteris prostent. Obturbatorum loco erunt, qui callide excogitatis ratiunculis quibusdam putidis suffundunt tenebras, iudices supplantant, obtundunt, reiiciunt, et causas (facinus illis inclytum) in mille protrahunt annorum myriades. O quam praestaret nebulones istos meras harpyias foro pellere, immo et loco movere, et in cerites rursus referre, nihil enim aliud crudelius in eos licet per Christianam pietatem optare, contra quos D. Bernardus *lib. 1, de considerat.* ad Eugenium, sic ait: - *Miror quemadmodum aures divinae possunt huiusmodi advocatorum disputationes et pugnas verborum audire: hi sunt, qui linguas suas docuerunt loqui mendacium, discreti adversus iustitiam, eruditi pro falsitate, sapientes ut faciant malum, et loquentes ut impugnent verum; hi sunt, qui instruunt a quibus fuerant instruendi, astruunt non comperta, sed suas struunt calumnias innocentiae, destruunt veritatis simplicitatem, et obstruunt iudicis vias* „.

c) Nihilominus, ne iniquo in advocatos animo esse videar, recolam cum eodem Barbos. *loc. cit. n. 16:* " *Advocati tamen et iudices, qui recte et iuste utuntur legibus,* (et gratiae plurimae habendae Deo quod bonos advocatos non paucos esse sinat) *multum merentur apud Deum* „.

mortuo viro, tandem denupsit. Marco nepos erat nomine Iulius. Malo Luciae et Marci exemplo provocati, Iulius et Gaia iam in eo erant, ut ex familiari eorundem conversatione mater omnia de filia timeret.

Cum illa, ut puellam ab imminenti periculo eriperet, septendecim iam tum annos natam, in nuptias collocare satageret, ego, ita ille, malo fato in Gaiam incidi; et amore correptus, eam mihi uxorem ultro assumpturum ostendi.

Qua re cognita Lucia nihil antiquius habuit quam puellam mihi devincire; me habuit quasi tabulam e naufragio, Iulium mora haud interiecta e domo eiecit et a filia ablegavit. Ego quippe qui nihil suspicatus sum de eorundem amoribus, die 25 iunii 1887 Gaiam matrimonio mihi coniunxi.

At expletis nuptiis adverti ehu mihi! cor eius aversum esse a me. Haud longo etenim ab hymenaeo exacto tempore, memoratus Iulius, quem necdum in rerum natura existere audieram, apud Gaiam multus esse coepit. Et postquam ego deprehenderam insanos eorum amores, uxor mea contendere non erubuit ut in receptionibus nostrae familiae illum inter convitatos cooptarem. Restiti prouti planum est, at illa, cum praetextus quaeritaret divertendi a me, ut liberius inter Iulii amplexus convolaret, coniugalem vitam, iam tum difficilem, reddidit intolerabilem.

Fortunate post aliquod temporis accidit ut saepedictus Iulius Lucretiam N. sibi desponsaret. De hac coniunctione animus meus bene auguratus est. Putabam enim nihil iam impedimento esse quominus uxor mihi adhaereret ex corde. Sed opinio longe me fefellit. Nam de abysso in abyssum Gaia propipiens, amore inflammata est cuiusdam Tancredis, quocum etiamnum in concubinatu vivit. Ego postquam nullum non perperam moveram lapidem ut uxorem ad bonam frugem tandem aliquando revocarem, ad incitas redactus, quo dignitatem nominis mei in tuto ponerem, apud laicum magistratum egi ut civile meum cum illa vinculum dissolveret.

Hisce auditis, Auli fortunam miseratus, professus eidem pollicitusque sum eximium meum ac singulare studium in omni genere officii, excepta connubii sui dissolutione. Quod

enim rem istam concernit, non est, dixi, qui tibi possit auxilium praestare. Nam in quibus tu inniteris literis a Gaiae matre ad emeritam cubiculariam die 21 martii 1896 datis non agitur, meo quidem iudicio, de incussione metus, ad irritandum matrimonium a probatis auctoribus requisiti, sed tantummodo de increpatione paterna, modica scilicet coactione, parentibus licita.

Ad haec Aulus respondit sē mori potius paratum esse, quam coniugalem vitam cum Gaia restaurare. Et exoravit ut sin minus Gaiam, Luciam ac illarum ex-cubiculariam Sophiam iudex audiret. Hac illum de re tutum reddidi, at interim monui ut alta mente teneret Gaiam, nisi sacrum foedus pro infecto habeat Ecclesia, uxorem suam usque ad mortem apud Christi tribunal futuram quibusvis saecularis magistratus sententiis haud obstantibus.

Dominationibus Vestris

Datum ad B. V. Mariae ab Annuntiatione XIV kalendas augustas 1897.

Obsequentissimus subditus
Coelestinus Bonservizi, parochus.

Die 19 iulii 1897.

Iudex iuxta actoris votum audiri mandat eius uxorem huiusque matrem.

10. Ill.mus et r.mus dominus Iustinus Senni, vic. generalis, mandavit acta transmitti ad admodum r.ndum Gasparem Francioni, parochiae sanctae Mariae Magdalenae rectorem, eumque rogari ut primum ad domum Gaiae, deinde Luciae, eius matris, sua in paroecia degentium pergat, ac eas diligenter percontando, exploret an et quomodo mater filiam ad nubendum Aulo Zerbi compulerit, et scriptis accurate consignet cum singulis circumstantiis et adiunctis loci ac temporis facta, ex quibus dignosci queat num actum sit de minuscula aliqua coactione aut increpatione parentibus licita seu potius de metu, qui iuxta probatos auctores matrimonii valorem inficit. Attenta mente consideret utrum mater et filia facta assertum timorem spectantia amplificare vel imminuere studeant. Do-

cumenta demum, si quae habeant ad rem facientia, exempli gratia, epistolas Gaiam inter et Aulum tempore non suspecto mutuatas, tum a matre cum a filia perquirat.

Caveat tamen reverendus parochus ne Gaia eiusve mater de re suspicetur prius quam ipse ad illas excutiendas accedat. Et hanc ob causam statim atque exceperit filiae depositionem, recto tramite ad matrem pergat.

Iustinus Senni, vic. gen.
Gabinus Maggi, actuarius.

Ill.ma et R.ma Curia Episcopalis.

Declarationes a memoratis feminis suppeditatae.

11. Ut accepi literas a Dominationibus Vestris die 19 huius mihi datas, domum Gaiae Noli petii. Illa inficiatur se Aulo nupsisse invitam. Eomet tempore, inquit Gaia, quo Aulus, duo alii iuvenes, Livius Silenzi et Tullius Canestrini, me sibi matrimonio iungere efflagitabant. Queis ego anteposui Aulum; mihique omnes propinqui mei plauserunt, excepto avo, qui repellendum existimabat Aulum, quippe qui tenui censu praeditus erat.

Mater mea, ita illa, optabat quidem me quam citius in nuptum dare, at sui minime intererat me Aulo potius quam Livio aut Tullio aut cuicumque alii denubere. Quod scatet vel ex quo praedictos Livium ac Tullium ipsa mihi proposuerit. Operam ceterum oleumque mater in eo perdidisset, si me nolentem in matrimonium tradere pertentasset. Non minus namque ego quam illa propositi tenaces sumus ac ingenio, nitide fateor, difficiles.

Aulum hoc minime latuit. Nam etiam tum, cum ille in domo nostra frequens erat coniugii causa, spectator fuit rixarum matrem inter et me ac sororem; quae in praesentiarum quoque dissidet a matre, quacum nec ego concors sum. Dum mensae accumbebamus plus semel discessi contentionum ergo; et una vice ipse Aulus aderat, cuius suasu ad mensam et matrem reversa sum. Tantum aberat ut fomitem dissidiorum inter me et matrem pararet mea ab Aulo aversio.

Perdurantibus matrimonii tractatibus una quidem vel altera vice Auli optatis haud feci satis. Id tamen contigit, quandoque, quoniam ille a me petebat quae non decent honestam puellam; aliquando autem quia sic ego ingenio comparata sum, ut meam voluntati aliorum, ceu dixi, difficile accommodem; at nunquam Aulo contradixi ut ei displicerem. Ceterum in promptu habeo literas sive a me Aulo sive ab eo mihi datas, quue nuptias coactas luculenter excludunt.

Porro hymenaeum celebravimus die 25 iunii 1887; maritali subinde genio indulsimus prouti de more. Prole quidem haud sumus laetati nec pax coniugalis diu stetit. Sed hac de re praeter alias memoratam indolem meam, culpanda est quaedam Sabina, quae cantu, si ipsam audias, ad amplas divitias pervenit. Cuius feminae laqueis irretitus Aulus, anno 1896 mense ianuario exeunte mihi valedixit. Nihilo tamen secius mei oblitus haud est; imo quotquot obvios habet ex propinquis meis solicita cura de me percontatur. Nec dubito quin tandem ad me revertatur, si a retibus praefatae mulieris se expediat.

Haec summatim sunt quae ab ore Gaiae accepi. At non heic illa constitit; adhaec ultro citroque tresdecim mihi exhibuit literas omnes ante connubii celebrationem scriptas, quarum septem ipsa ad Aulum dedit, sex vero ab hoc recepit. Eas ex desiderio Gaiae citra necessitatem ad Ill.mam et R.mam Istam Curiam transmittere supersedeo, sed interim in parochiali tabulario asservo; contentus modo sum duo fragmenta magis ad rem facientia praesentibus inserere.

Certe in literis ad Aulum missis die 19 maii 1887, idest 36 ante nuptias diebus, Gaia inquit: " Vidi diaetam (quam futuri coniuges conducere intendebant); optime sita est, in pereleganti domo, amoena coeli suavitas ab tepore solis. Sed praesens inhabitator discessurus inde non est ante mensem octobrem; et october distat nimis. Ego urgeo omnes. Si uniuscuiusque excipere volumus consilia, coniugium haud absolvemus ante annum 1888. Tu quoque putare audes breve esse tempus! a saeculo ego existimo nos disiungi..... „.

Alias ait: " Hesterno die tibi properatim scripsi, hodie vero festinanter, quia pergo ad probandum novum vestimentum. Te namque cras redeunte spiritualis aeque ac pulchra esse debeo. Mane pascha in parochia sancti Claudii celebrabo. Mane mihi magna exultatio erit, bonus Deus et tu ad me eadem die..... „.

Vix a Gaia me expedivi, nullo interiecto temporis momento, ad matris domum profectus sum: Lucia mihi asseruit se statim atque saecularis magistratus civile vinculum inter filiam et Aulum dissolvit, aggressam esse matrimonium cassare, at destitisse cum cognovit non id esse in Gaiae votis.

Nec diffiteor, ait illa, materna me auctoritate, vir enim meus paucis ante mensibus vita functus erat, usam fuisse ut Gaiam ad nubendum Aulo adducerem. Num autem libertatem ad connubium valide celebrandum necessariam laeserim non meum, sed vestrum est diiudicare.

Non alias praeterea notitias a Lucia obtinere potui. Mater visa mihi est aegre de hisce rebus loqui; contra in oculos insilit herculeus filiae labor ut praetensum metum inter aegrae somnia mentis amandet.

Dominationibus Vestris

Datum ad S. Claudii die 24 iulii 1897

Addictissimus subditus
Gaspar Francioni, parochus.

Die 26 iulii 1897.

Iuxta Auli pariter petitionem iudex explicationes quaerit a Gaiae et matris ex - cubicularia.

12. Ill.mus ac r.mus dominus Iustinus Senni, vicarius generalis, praecepit acta ad admodum r.ndum Alexium Sesterzi, rectorem parochiae sancti Laurentii, transmitti eum in finem ut Sophiam N. Luciae, matris Gaiae Noli, excubiculariam sua in parochia commorantem arcessat eamque percontando diligenter exquirat num mater filiam ad nubendum Aulo Zerbi compulerit et literis tradat cum omnibus et singulis circum-

stantiis adiunctisque loci ac temporis facta, ex queis scateat an actum sit de minuscula aliqua coactione, parentibus licita, seu potius de metu, qui iuxta probatos auctores matrimonii valorem inficiat. Denique caute advertat an Sophia sit nec ne a partium studio immunis.

Iustinus Senni, vic. gen.

Gabinus Maggi, actuarius.

Ill.ma ac R.ma Curia Episcopalis

Datae ab hac muliere declarationes.

13. Die 27 huius, ut literis Dominationum Vestrarum satisfacerem, allocutus sum Sophiam N., a qua accepi quae sequuntur:

Lucia, Gaiae Noli mater, a viro suo, duobus vel tribus mensibus ante controversi matrimonii celebrationem e vivis elato, longe prius diverterat et concubinalem vitam agebat cum Marco N., qui nepotem nomine Iulium domi exceperat.

Gaia et Iulius mutuo citissime amore inflammati sunt ad dementiam usque. Hoc probe nosco. Ea nam ego eram, cui puella nihil celabat. Innumera ad haec facta referre possum. Suo ipsa ore mihi confessa est se in statione balnearia loci N. anno antequam Aulo nuberet, integram noctem una cum Iulio transegisse.

Quodam die matri causam praetendens pergendi ad ecclesiam ut poenitentiae sacramento animi noxas expiaret me secum adduxit. Ast non ad ecclesiam profectae sumus, sed ad viam N. numero N., ubi apud mercatorem quendam Iulius operam navabat. Ibi Gaia flocci faciens suasiones meas, preces ac minas, cum Iulio secessit in zothecam. Indignata ego discessi, in via dominam praestolatura. Sed herus eos in conclavi deprehendit ac Luciam de re certioratus est.

Huiuscemodi cognitis filiae amoribus Lucia statuit eam a Iulio abalienare et quamprimum cuicunque, excepto Iulio, quippe qui conditione inferior erat, uxorem committere. Illa

eo magis urgebat filiae nuptias, ut suis ipsa in amoribus liberior esset; ac zelotypia ob filiae venustate praestantis praesentiam torquebatur. Contra Gaia repugnantiam erga Aulum continuo manifestabat; et rixae hanc ob rem semper fervebant matrem inter et filiam.

Reluctantem filiam non verberibus afficiebat, sed acribus verbis, irritationibus *(taquineries)*, tyrannice imperabat ac dicebat se minime concessuram ut illa cum Iulio coniugium iniret, donec sub sua potestate maneret, idest prius quam aetatis annum expleret vigesimum primum. Gaia vero libidini mancipata absque amante vivere non poterat. Et, quoniam cum Iulio iam convenire non valebat, parata erat se dedere cuicunque. Quocirca dicere non audeo illam ultimo etiam momento restitisse. Quinimo factum in promptu est, quod contrarium demonstrare videtur. Certe, cum nuptiali se itineri committeret, a me petiit vestem a cubiculo *(robe de chambre)*, quam in curru *(en chemin de fer)* indueret, quia sperabat matrimonium consummatum iri, antequam cum Aulo ad civitatem N. perveniret; et quoniam ego mirabunda ei dixi: — *Non erubesces? Mais vous n'aurez pas honte? en chemin de fer?..... Oh! me dit-elle,* Aulus *louera un coupé, donnera la pièce à l'employé, et on nous laissera tranquilles.*

Coniuges per octo annos thalami communione usi sunt. Quod ego sciam, Gaia nunquam conquesta est quod invita in matrimonium Aulo tradita sit. Malos nuptiarum exitus effroeni uxoris libidini ascribo. Mihi relatum fuit illam vesanis aurigae amoribus irretitam fuisse tribus a nuptiis mensibus necdum exactis.

Dominationibus Vestris

Datum ad S. Laurentii die 30 iulii 1897.

obsequentissimus subditus
Alexius Sesterzi, parochus.

Die 20 augusti 1897.

Sententia, qua statuitur non esse locum procedendi ad ulteriora.

14. In causa matrimonii inter Aulum Zerbi actorem et Gaiam Noli ream vertente;

Viso libello, in quo Aulus praetendit Gaiam die 25 iunii 1887 sibi nupsisse a matre coactam;

Viso testimonio rectoris parochiae Beatae Virginis Mariae ab Annuntiatione, qui fidem facit de sacro foedere inter actorem et ream die 25 iunii 1887 contracto;

Visa epistola a Lucia Noli, Gaiae matre, die 21 martii 1896 ad Sophiam N. data, qua illa declarat partem in celebratione controversi connubii a se habitam;

Viso voto, quo iugalis defensor contendit Aulum ad impugnandum coniugium admitti haud debere;

Visis literis parochi ecclesiae B. V. M. ab Annuntiatione, ex quibus liquet Aulum mordicus insistere intentatae actioni;

Visa epistola, qua curator animarum paroeciae S. Laurentii facta refert, quae a Gaia, ab eius matre ac ab excubicularia Sophia N. accepit;

Considerantes ex memoratis literis Luciae Noli ad Sophiam N. apparere matrem modica coactione parentibus in nuptiis filiorum licita fortasse usam esse, minime autem devenisse ad incussionem metus cadentis in constantem virum;

Reapse mater quamvis tota in eo sit ut filiae connubium praetextu illati timoris dissolvatur, contenta tamen est asserere se *quasi per insidias (en quelque sorte par surprise)* Gaiam adduxisse ad nubendum Aulo;

Rursum metus cadens in constantem virum, ex receptissima doctorum sententia non admittitur, nisi is, qui timorem patitur, incutienti pro viribus restiterit. Certe Sabellius *(summ. divers. tract. c. Metus n. 3)* inter conditiones, ad metum cadentem in constantem virum necessarias, recenset: " Ut timens, non possit facile occurrere, malis quae sibi timet imminere, quia si possit alia ratione mederi non est metus iustus „. Iam vero mater in saepedictis literis profitetur: " *Dicere ego possum* me filiam meam vi in matrimonio collocasse et *illam passive se habuisse,* ne luctari deberet „;

Considerantes hanc interpretationem non notitiis adversari, quas, ut actori annueremus, vigore decretorum dierum 18 et 26 iulii nuper elapsi collegimus per parochos, Gasparem Francioni et Alexium Sesterzi; quinimo potius ab illis notitiis confirmari. Nam Sophia N., in qua potissimum confidit Aulus, inter alia testatur Gaiam, cum nuptiale iter susciperet, dixisse se bona spe niti matrimonium consummandi priusquam ad civitatem N. cum Aulo perveniret. Quod quantum a coactis nuptiis abhorreat nemo non videt;

Considerantes in iure actionem adversus sacrum foedus institutam, absque ulteriori inquisitione repellendam esse, si factis innitatur, quae licet vera undequaque essent, nihilominus matrimonium irritando imparia forent, *(Raucher instruct. pro iudic. eccles. quoad caus. matr. § 137)*;

Praemissis aliisque visis et consideratis de iure considerandis;

Nos Iustinus Senni, vicarius generalis, solum Deum prae oculis habentes, dicimus et decernimus intentatam actionem deficere fundamento; et proinde e re nata non esse locum procedendi ad ulteriora. Ita hoc et omni meliori modo.

Iustinus Senni, vicarius generalis.

Gabinus Maggi, actuarius.

Excelse Tribunal,

15. Aulus Zerbi cognita sententia in causa nullitatis matrimonii, inter scribentem et Gaiam Noli vertente, die 20 augusti 1897 edita per verba: " Non esse locum procedendi ad ulteriora „, appellat ad Sanctam Sedem, cum huiusmodi decreto actor prohibeatur argumenta in medium afferre queis actionem suam sustentare intendit. Actor appellat ad S. Sedem.

Die 22 augusti 1897.

Ab Aulo Zerbi exhibitus est supra scriptus appellationis libellus.

Gabinus Maggi, actuarius.

S. Congreg. Concilii confirmat sententiam primi gradus.

16. Sacra Congregatio Concilii ad suetam rogationis formulam: *An sententia curiae episcopalis nennien. sit confirmanda vel infirmanda in casu,* die 19 maii 1900 respondit: *Sententiam esse confirmandam.*

SPECIMEN SECUNDUM

ARGUMENTUM

Lucia Marmori nata Cinti postulat ut nullitatis vitio tabescere declaretur connubium quod ipsa cum Manio Marmori contraxit. Ad hoc in medium affert metum et dolum, queis a patre adducta esset ad nubendum. Idque demonstrare contendit literis tam a patre quam a se tempore non suspecto datis et compluribus testibus. Iudex actricem voti compotem facit, coniugali sex ferme annorum cohabitatione et suscepta prole minime obstantibus.

Ill.ma et R.ma Curia Episcopalis (cf. *not. 1*) *Nennien.*

Libellus iudicii.

17. Lucia Marmori nata Cinti in pago vernacula lingua *Strada* in huiusce dioecesis finibus sito lares habens (cf. *not. 2)* quae sequuntur ad Excelsum Istud Tribunal deducit :

Anno 1885, die 15 septembris, cum vix septimum supra decimum aetatis annum explevisset, Manio Marmori in memorato pago *Strada* degenti, qui vigesimum octavum aetatis annum attigerat *(cf. not. 3)* in matrimonium tradita est, *(alleg. n. 1).*

At nec sponte nec libere. Nam nil minus quam nuptias cogitantem pater oratricem Manio Marmori alligavit, quem puella antipathia potius, quam amore prosequebatur.

Hisce nupta auspiciis, coniugali vitae assuescere minime potuit. Quamvis per sex ferme annos sub eodem tecto Lucia et Manius manserint, nunquam tamen uno eodemque usi sunt thalamo; imo nec cubili. Puer quidem ex coniugio natus est, qui in septimo versatur aetatis anno. Sed quatuor vel quinque dumtaxat maritales amplexus obtinuerunt, uxore semper invita. Qua de causa duobus abhinc annis vir civile vinculum disrumpi curavit.

Praemissa veritati esse omnino consona iurabunt testes numero plures. Nunc actrix libello epistolam inserit, duobus fere mensibus ante connubium a patre ad matrem suam datam, in qua tum suam violentiam cum filiae a matrimonio repugnantiam narrat absque ambagibus *(alleg. 2)*; nec non literas ad aviam a puella paucis ante nuptias diebus datas quibus suam a connubio aversionem exponit *(alleg. 3)*.

Placeat itaque Excelso Tribunali praesens matrimonium nullum ac irritum decernere.

Ita petit et instat non solum hoc, sed et omni meliori modo (cf. *not. 4*).

Die 24 ianuarii 1893.

Oblatio libelli.

18. A domino Appio Silenzi, iureconsulto curiae cognito [14]

---

[14] Ea de causa, scilicet, quia curiae cognitus erat Appius iudex ad ulteriora processit, quamvis ille procurationis mandatum non exhibuerit. Si enim procurator is sit ut iudex aut reus de mandato dubitare debeant, tum tribunal ei praefiget primam vel secundam diem iuridicam ad legitimandam personam. Certe Pellegrin. *prax. vicar. part. 2, sect. 1, subsect. 6, intersec. 2, nn. 4 et seq.* docet: " Casu autem quod actor comparuerit per procuratorem, reus petere debet, ut doceat de legitimo mandato eiusque copiam sibi fieri cum congruo termino ad illud impugnandum, si sibi videbitur expedire. Copia tamen huiusmodi mandati est illi exhibenda sumptibus ipsius producentis... Quod si procurator mandatum procurationis non exhibuerit, tunc iudex statuere debet terminum ad primam vel secundam diem iuridicam ad legitimandam personam, et si in dicto termino non fuerit doctum de legitimo mandato, pronunciet personam non esse legitimam, et proinde non esse audiendam in causa. Si vero doctum fuerit de legitimo mandato, tunc pronunciabit personas esse legitimas, una cum mandato, et proinde ad ulteriora in causa procedendum esse „.

Ridolphin. *prax. iudic. par. prim. cap. 2, nn. 181 et seqq.* ita rem enucleat: " Protestatio quod nemo ex adverso comparens audiatur, nisi docto de legitimo mandato procurae, ita quod per subsequentem ratificationem non censeantur acta revalidata, de quo solemniter protestatus fuit et protestatur (cfr. nn. 18 et 180) relevat in tantum, quod si mandatum non producatur, acta sunt nulla defectu mandati, Rot. *decis. 135, n. 4, part. 1 rec.*, secus si non fiat haec oppositio, nam tum censetur procurator a parte approbatus, licet non constet de mandato procurae, Rot. *dec. 530, n. 15*

exhibitus est suprascriptus libellus una cum tribus allegatis, in haec verba scriptis [15].

Alleg. 2.

19. Cara mater — Eorum quae tibi dixi aut scripsi nil ego retracto, nil innovo. Utique, Lucia denubere debet quocunque pacto. Dum urgeo ut virum sibi adiungat, sum de eius sorte solicitus, ceu tu probe nosti. Puella fovet chimaeras quas experientia mea explodit. Intolerabile eius ingenium ad furorem responsis me inducit. Eam punire prout et in gynaeceum coniicere coactus sum, dum soror eius alta est et instituta domi. Cum illa non possum vivere una simul; necessum ita-

Epistola, in qua pater prodit animum cogendi actricem ad nuptias.

---

part. 1, rec. Quinimo licet huiusmodi oppositio facta fuerit, nisi fuerit repetita in unoquoque actu, nihil relevat, quia censetur ab ea recessum, *Sal. Tib. in prax. lib. 1, cap. 27, n. 3,* Rot. *dec. 648, n. 3, part. 1 divers.* etc. In casibus tamen, in quibus intrat praesumptio mandati procurae sustinetur processus, hac protestatione nonobstante, ut saepius fuit decisum, et patet ex decisionibus cumulatis per *Ferentill. ad Buratt. decis. 593, n. 14.*

Operatur haec protestatio, ut productio mandati, licet antea facti, suffragari non possit ad sustinendum et revalidandum acta ante productionem, post tamen protestationem gesta.... sed parte non opponente potest mandatum produci quandocunque, sufficit quod producatur quando de eo opponitur..... Tunc enim acta antea gesta sustinentur, si mandatum erat factum..... Si vero aliquis citaverit aliquem simpliciter uti procuratorem alterius, videtur ex hoc illius personam approbasse, et ob id non poterit amplius sic approbans contra eum opponere defectum mandati procurae, et praesertim si agatur de sustinenda sententia iam lata pro valida contra approbantem..... eo magis si aliae coniecturae pro mandato concurrant. Sed hoc primo non procedit, quando quis fuit citatus uti *praetensus* vel *assertus* procurator, ut solent facere practici. Secundo non procedit, quando citatus esset approbatus a *procuratore.* Tertio non procedit, quando in actis constaret de minus legitimo mandato procurae. Quarto denique non procedit quoad iudicem, qui etiam post litem contestatam poterit cogere ex officio citatum, uti procuratorem ad docendum de legitimo mandato procurae vel cavendum de rato, antequam ad ulteriora in causa procedatur, si de mandato dubitatur, ne alias citato procuratore non existente frustratorie laboraret „.

[15] Testimonium de matrimonii celebratione transcribere praetermittimus, quia mutatis mutandis est ut *(in n. 3.,* ubi vid. *not. 5).*

que est ut matrimonium ineat. Eius oppositio risum mihi excitat. Tempore haud durabit longo.

Ne mihi pares, quaeso, et tu obstacula; finem hisce imponam et omnia iuxta vota nostra succedent. Meus animus erit in te semper, quem tu esse vis et qui esse debet. Vale.

Dat. Neapoli die 20 iulii 1885.

Petrus Cinti.

(foris) Ad dominam Iuliam Cinti.
Mediolanum [16].

Gabinus Maggi, actuarius.

Alleg. 3.

Altera, in qua actrix queritur de disperatione evadendi coactionem.

20. Avia carissima — Tenta adhuc num impedire valeas hoc detestatum coniugium. Ego in metu patris maximo sum. Bone Deus, nil ergo me salvare potest? Nunc intelligo quare mater mea e fenestra se praecipitem dederit. Animo quoque meo assidua haeret cogitatio longinquas in oras abeundi aut mihi inferendi necem.

Ora pro Tua

Dat. Neapoli die 9 septembris 1885.

Miserrima omnium Lucia Cinti,
(cf. quoad praecedentia alleg. *not. 6.*).

(foris). Ad dominam Geltrudem N.
Vindobonam.

---

[16] Quando quis aliquid probare intendit per epistolas, contentus haud esse debet exhibitione folii, in quo illa scripta est, sed adiiciendum est foliolum ipsum, ubi directio seu missio prostat. Nam in folio literarum moderno more saepe saepius desiderantur nomen et agnomen illius, ad quem dantur literae. Deinde sigillo per publicum officialem in foliolo impresso docemur probo licet non apodictico argumento epistolam eo reipsa tempore missam fuisse. Dixi non apodictico argumento, quia superest difficultas suadendi ad illas foliolum et non alias literas spectare.

Die 26 ianuarii 1895.

21. Ill.mus ac r.mus dominus dominus Episcopus Nennien. decrevit: " Cum per libellum die 26 labentis mensis nobis porrectum Lucia Marmori nata Cinti postulet ut sacrum foedus ipsam inter et Manium Marmori die 16 septembris 1885 initum iuris robore destitutum renuntiemus, nos reverendo Catoni Lustrini committimus ut procedat in causa usque ad sententiam definitivam inclusive [17].

Sacrorum Antistes Catoni Lustrini causae cognitionem committit.

N. Episcopus.

Gabinus Maggi, actuarius.

Die 30 ianuarii 1893.

22. Praemissis libello et tribus allegatis perlectis Cato Lustrini, iudex delegatus, curari mandavit coniugum reconciliationem. Ideoque libellum et tria allegata transmisit ad admodum rev. dominum Terentium Canzi, paroeciae vulgo *Strada* rectorem; eumque rogavit ut Manium et Luciam ad concordiam reducere satagat ac de resultantibus certiorare non gravetur hanc curiam.

Iudex delegatus proprium Luciae, actricis, parochum rogat ut curet coniugum concordiam.

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Gabinus Maggi, actuarius.

Ill.me et R.me Iudex,

23. Quo literis a Dominatione Tua die 30 mensis exeuntis mihi datis facerem satis ad Manium Marmori primum profectus sum, a quo didici nullam superesse spem reconciliationis inter eos coniuges. Ille iurat Luciam Cinti toto coha-

Coniuges ambo reconciliationi resistunt.

[17] Neminem latet integrum esse episcopo causas matrimoniales nedum per seipsum, verum etiam per aliam ecclesiasticam personam cognoscere ac dirimere. (Cf. *not. 1*).

bitationis tempore praestationi obsequiorum matrimonialium mordicus restitisse; et quater vel quinquies dumtaxat compressam fuisse aut precibus ac obsecrationibus fatigatam aut deprehensam ex improviso. Eaque de causa factum esse ut tandem aliquando uxori valedixerit ac mense novembri 1891 a laico magistratu assecutus sit civilis vinculi solutionem. Quod ita esse compertum meis ipse oculis habui municipalibus ex codicibus.

Post haec ad Luciam perrexi. Quae nedum dicta Manii plene confirmavit, sed praeterea adiecit: " Posteaquam Manius discesserat non defuerunt qui nullum non moverent lapidem ut nos ad restaurandam cohabitationem adducerent, at laboraverunt incassum. Ego enim perpetuo restiti; quinimo a multo tempore peroptabam connubium cassare. Ideo silui quia omnes mei mihi adversabantur. Ceterum nunquam me nuptam existimavi. Alta namque mente tenebam me interno animi consensu nullo temporis momento matrimonio acquievisse „.

Dum haec refero, libenter me profiteor
Dominationis Tuae
Datum ad S. Thomae die 3 februarii 1893

Obsequentissimum servum
Terentium Canzi, parochum.

Die 4 februarii 1893.

Iudex ad defensorem matrimonii transmittit acta causae.

24. Ill.mus et r.mus iudex delegatus Cato Lustrini decernit: Transmittantur acta ad admodum r.ndum Severinum di Legge, matrimonii defensorem ex officio; qui illis perlectis, non gravetur ad curiam accedere ut iuramentum praestet a lege praescriptum [18].

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Gabinus Maggi, actuarius.

---

[18] Certe Benedictus XIV in constit. *Dei miseratione* § 7 mandat: " Defensor (matrimonii), cum ei munus huiusmodi committetur, iuramen-

Die 6 februarii 1893.

Sacramenti vindex iuramentum a lege praescriptum edit.

25. In iure sistit defensor matrimonii ex officio admodum r.ndus d.nus Severinus Di Legge, qui primum sacramento dicit, prout *(in n. 6)*.

Deinde ill.mo et r.mo d.no Catoni Lustrini iudici delegato significat acta ad se missa ea esse ut ipse confidere possit quaestiones Luciae Marmori natae Cinti actrici proponendas postridie in promptu futuras. Ideoque actricem in ius appellari posse, quando domino iudici placuerit ex die 8 huius.

Iudex actrici diem dicit ad examen subeundum.

26. Post quae iudex delegatus Luciam Marmori natam Cinti in iudicium vocari mandat, inserto suae delegationis et commissionis tenore [19], ut examen prout de iure subeat die 11 h. mensis hora nona matutina in matrimoniali causa a se instituta.

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Gabinus Maggi, actuarius.

---

tum praestabit fideliter officium suum obeundi, et quotiescumque contigerit, ut iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus idem iuramentum praebebit ...

Instructio vero diei 22 augusti 1840, qua S. Congregatio Concilii memoratam constitutionem explanat, in § *Hisce praemissis* docet: " Quoties aliquis ex coniugibus instantiam in scriptis porriget pro nullitate matrimonii, episcopus iudicem, si velit, delegabit, deinde ipse vel iudex delegatus citari mandabit, defensorem matrimonii, quatenus in curia episcopali iam deputatus existat, sin minus, idoneum virum deputabit iis qualitatibus praestantem, quas superius memorata constitutio S. M. Benedicti XIV requirit, eumque citari mandabit. Defensoris matrimonii erit praefixa die accedere ad praestandum iuramentum, se munus suum diligenter et incorrupte expleturum et omnia voce ac scriptis deducturum, quae ad validitatem matrimonii sustinendam conferre poterunt „. *Cf.* etiam *not. 8.*

[19] Quando iudex est delegatus, praeter citationis, ad eum, cui dies dicitur, etiam delegationis exemplar ablegandum est, ceu tradit Pellegrin. *prax. vicarior. part. 2, sect. 1, sub sect. 2, n. 23:* (ibi): " Redditur invalida et elusoria citatio et forma citationis ratione formae non servatae in ipsa citatione; et est quando delegatus a principe vel ab ordinario non citat cum inserto tenore suae delegationis et commissionis, *cap. Praeterea de dilationib. et cap. Cum iure peritus de offic. delegat* „.

Citatio Luciae denuntiata.

27. Iulius Lupini iuratus huiusce curiae episcopalis nuncius, ad tribunal remittit alterum praedictarum citationis et delegatae iurisdictionis exemplar, quod actricis subsignationem secum fert et proin iacet prout sequitur:

Nos Cato Lustrini, iudex delegatus reverendissimi Nennien. Episcopi, Luciam Marmori natam Cinti inserto nostrae delegationis tenore [20] monemus et citamus ut die 15 huius mensis hora nona matutina iudicio sistat in aula sessionum, iuratura et examen subitura in causa matrimoniali a se intentata.

Datum in curia episcopali Nennien. die 6 februarii 1893.

Cato Lustrini, iudex delegatus

Gabinus Maggi, actuarius.

Exemplar praesentis citationis et delegatae iurisdictionis recepi die 6 februarii 1893.

Lucia Marmori nata Cinti [21].

---

[20] Delegationis chirographum heic transcribere omittimus, quia prostat in *n. 21.*

[21] Citationis ad exitum perductae optimam probationem suppeditat subscriptio, prout in praesenti, personae, cui denuntiata est. At huiusmodi probatio non semper possibilis est nec necessaria. Pellegrin. *prax. vicar. part. 4, sect. 6, n. 26* ait: " Quia nuncii et, apparitores regulariter, etiam sunt viles personae *l. prohibitum et l. defensionis c. de iur. fisc. l. 10,* ideo illis non facile creditur, sine idoneis testibus, cum facillime falsas relationes facere soleant „.

Nemo tamen melius quam iudex inquisitor, quippe qui cognoscit personas, scit num sequi possit Ridolphinum qui in *cit. prax. iudic. part. prim. cap. 2, nn. 71 et seqq.* tradit: " Creditur nuncio asserenti se citasse aliquem domi dimissa copia.... prout creditur eidem attestanti se citasse, vel intimasse personaliter cum dimissione copiae in manibus citati..... quia regulariter in spectantibus ad eius officium statur eius relationi..... et in dependentibus et connexis. Creditur etiam notario attestanti de relatione executionis citationis.... etiam sine testibus, quia acta, quae fiunt in figura iudicii, iudice pro tribunali sedente scripta a notario publico, etiam sine testibus probant.

Executio tamen citationis facta a notario, etiam si fuerit ei commissa non probat sine testibus, quia notarius non est nuncius, nuncio enim creditur sine testibus propter iuramentum de fideliter exercendo officium

Die 11 februarii 1893.

28. Lucia Marmori nata Cinti sui praesentiam facit praesentibus iudice delegato Catone Lustrini, Severino di Legge defensore matrimonii ex officio meque inscripto Gabino Maggi actuario. Iudiciale eiusdem examen.

Tunc matrimonii defensor mihi tradidit schedam obseratam quam continere dixit quaestiones proponendas actrici; quae a iudice monita de iuramenti gravitate, iurata est se veritatem dicere tam super articulis quam tota causa, tactis scripturis [22].

Deinde postulante sacri foederis vindice, ill.mus et r.mus iudex delegatus Cato Lustrini memoratam schedam reseravit et statim Lucia Cinti interrogata est et respondit prout sequitur:

---

suum, unde cum notarius non sit iuratus et agatur de probando gesta extra figuram iudicii, in hoc illi non creditur..... Sed de stylo curiae sufficit, quod cursor faciat relationem executionis, eius subscriptione mediante in pede citationis, absque eo quod compareat coram iudice aut notario ad referendum.

Imo Instructio S. C. EE. et RR. diei 11 iun. 1880, in *art. 14,* cavet, " Quatenus pro intimationibus aut notificationibus haud praesto sit opera apparitorum curiae, suppletur exhibitione eorumdem expleta per qualificatam personam, quae de facto certioret; sive eas transmittendo ope commendationis penes tabellariorum officium illis in locis, in quibus hoc invaluit systema, exposcendo fidem exhibitionis, receptionis aut repudii „, Ad publicas autem ephemerides recursus habetur in casu necessitatis seu quando ignoratur citandi sedes, ita ut alias vadimonium ei denuntiari nequeat.

[22] Ad rem Pellegr. *prax. vicar. part. 2, sect. 2, subsect. 6, nn. 3, 4 et 26* tradit: " Debent (testes) iurare tactis scripturis.... Nec requiritur de necessitate ut tangantur sacra Dei Evangelia, nisi sit expresse in iure cautum, sed sufficit de consuetudine ut tangatur quaelibet scriptura, habito tamen respectu ad sancta Dei Evangelia. Vivius in *tract. commun. opin., in verb. iuramentum,* ubi de communi DD. sententia testatur.

Notarius autem seu actuarius debet scribere quod testis iuravit tactis scripturis, alias non praesumeretur, quia tactus scripturarum est solemnitas extrinseca, quae non praesumitur, nisi appareat.... Hinc est quod si notarius diceret solum " *Testis iuratus* etc. „ Ista verba non probarent iuramentum, quia sunt verba enunciativa de praeterito „.

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? [23]

b) Nuncupor Lucia Cinti 25 abhinc annis nata, fortunae bonis vivo, dego in loco vulgo *Strada.*

c) Ubi educationis disciplina imbuta es et quando domum reversa? — Nono a nativitate mense matre orbata sum, aliquando cohabitavi cum patre eiusque matre, sed maiorem temporis partem transegi apud aviam maternam. Trilustris in gynaeceum collocata sum et tres post annos ad genitorem et aviam paternam redii.

d) Quibus mediatoribus Manio denupsisti? — Omnia disposuit pater meus. Ille has nuptias molitus est, ille eas mihi proposuit, imo imperavit. Nitide ei significavi me nunquam cogitasse matrimonium neque scire in quo illud consisteret. Nullo autem pacto me velle uxorem committi Manio, quem inter et me sympatia semper desiderata est.

---

[23] Rem enucleat cit. Instructio S. Congr. Concil. sub. § *Praefinita et seq.* (ibi) " Praefinita die in citatione comparebit instans pro nullitate, et tunc defensor matrimonii tradit interrogatoria clausa et obsignata cancellario seu notario, aperienda illo postulante in actu examinis, super quibus interrogandus erit coniux instans pro nullitate. Iis ea addit etiam in actu examinis ex officio iudex, quae ex responsionibus magis apta conspiciet ad veritatem eruendam sive in declarationem responsionum datarum sive super novis circumstantiis resultantibus, quod erit intelligendum etiam de aliis interrogatoriis, super quibus ceteri omnes de re instructi erunt examinandi.

Cum itaque advenerit statuta dies pars nullitatem matrimonii allegans comparebit, ut supra dictum est, coram iudice, adstante defensore matrimonii et cancellario. Iudex deferet parti examinandae iuramentum de veritate dicenda, et deinde reserabit interrogatoria exhibita, ut supra dictum est, a defensore matrimonii, eaque singulatim proponet, audiet responsiones easque dictabit cancellario „.

Otiosum fortasse non est audire Pellegr. *prax. vicar. part. 4, sect. 9, n. 45* (ibi): " Interrogatoria fieri solent latino sermone, sed responsiones scribendae in ea propria lingua, qua (examinatus) respondet, vulgari, scilicet, italica, hispanica, gallica vel simili: iuxta regionis consuetudinem. Quod si examinandus, fuerit persona idiota, explicanda sunt quaelibet interrogatoria lingua vernacula: ad effectum, ut respondere valeat: sed ipsa explicatio vulgaris non scribitur, cum iam scripta sit latine. Responsiones autem scribendae sunt punctualiter prout per ipsum dantur „.

e) Edissere facta ad quae parens recursum habuit ut te ad nubendum Manio adduceret. — Quodam die, cum etiam atque etiam obtestarer eum ac obsecrarem ne me Manio in matrimonium traderet, alapa me mulctavit. Tunc ei protestata sum me nubere nolle et nunquam factum iri ut invita viro coniungar. Hisce auditis ille igniarium (revolver) arripit et necem mihi minitatur. Factum hoc contigit praesente Gemma Salustri. Adhaec, perpetuae erant saevitiae, contumeliae, queis studebat intolerabilem reddere meam cum ipso coabitationem.

f) Adhibuistine intercessores, qui patrem ad saniora consilia revocarent? — Veluti in sequestro eram nec literas mittere datum mihi erat. Propinqui mei praeter genitorem erant tantum soror et aviae. Soror nullam mihi utilitatem afferre poterat; nam patrem inter et sororem perennes erant lites contentionesque; et illis diebus vir, qui paulo post eam uxorem duxit, praeceperat ne a patre cibum sumeret, veritus ne toxico ipsam perimeret, quippe quae nubebat, illo invito. Avia ex latere genitoris noluit precibus uti ad illum dehortandum, quia nihil antiquius habebat, quam me domo depellere. Avia vero ex parte matris magno locorum intervallo disiuncta a nobis erat. Praeterea genitor cum in literis ad illam datis tot ac tanta commenta et mendacia scripsisset, quando eo profecti sumus, timere debui ne infelici, senio confectae ac laboranti corde, mortem afferrem, si denunciassem uti res penitus se habebant.

Tametsi quid sperare potuissem, quamvis illa a genero postulasset ut consilium mutaret? Iste nunquam soceram memorabat, nisi ut ore aspero discerperet. Iste is erat ut mater mea, ceu mihi ipsemet narravit, indignationem eius pertimescens, e fenestra se praecipitaret ac mortem obierit; is erat ut eius mater, quemadmodum ab ipsa didici, eum reformidaret.

g) Quinam sunt testes vel documenta queis actionem tuam sustentatum iri confidis? — Ipse Manius testari potest me denupsisse invitam, coniugali genio pro viribus restitisse et semper me professam matrimoniali vinculo haud obstrictam.

Meus ipsemet pater non inficias ibit saevitias, minas, fraudes, a se adhibitas ut me ad nuptias pertraheret. Instructi praeterea de re sunt iurisconsultus Paulus Stecchini, Christina Silenzi, quacum magna mihi familiaritas intercedebat, Gemma Salustri, quae nostra in domo assidua erat, Laetitia Sangeni, nostra iam tum cubicularia, soror mea Catharina Cinti et Sophia a Corde Iesu, praeses gynaecei ubi versabar, quando de connubio agi coeptum est. Quoad documenta, in duabus epistolis confido, quas una cum libello allegavi (cf. *nn. 19 et seq.*).

h) Quibus habitis ac si *et in quantum* acceptatis [24], de mandato iudicis delegati praedictas interrogationes et responsiones dictae Luciae Cinti clara et intelligibili voce perlegi, et cum interrogata fuisset an vellet quidquam mutare vel addere et respondisset, nihil sibi occurrere addendum aut mutandum, a iudice rogata, iuravit se vera dixisse atque nunquam ante publicationem processus se evulgaturam sive interrogationes propositas sive responsiones datas ac manu propria subscripsit. Lucia Cinti.

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Severinus di Legge, defensor matrim. ex officio.

Gabinus Maggi, actuarius.

Die 11 februarii 1893.

Iudex decernit in ius vocariManium, reum.

29. Ill.mus et r.mus dominus Cato Lustrini, iudex delegatus, citari mandat Manium Marmori, actricis virum, Petrum Cinti, Paulum Stecchini, Christinam Silenzi, Gemmam Salustri, Laetitiam Sangeni, Catharinam Cinti et Sophiam a

[24] Barbosa *tractat. var., Clausula 149, nn. 2 et seq.*, auctor est: " Admissio iurium, protestationis, seu appellationis cum clausula *Si et in quantum*, operatur, ut admissa cum illa, reiecta censeantur, si de iure non erant admittenda..... Importat igitur admissionem, quatenus de iure sit locus admissioni; et reiectionem, quatenus de iure non sit admittenda „.

Corde Iesu, testes a Lucia Cinti productos eisque primos dies liberos dici.

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Gabinus Maggi, actuarius.

Domine praestantissime,

Ad hoc commendatam ei dat epistolam.

30. Uxor tua urget nos, sicut tu noscis, ut irritum declaremus matrimonium, quod die 15 septembris 1885 tecum contraxit. Antequam quidquam decernamus, te audire maxime cupimus, nedum quia tua interest, verum etiam quia facta tibi forte innotescunt, quibus nos latentibus, in ius dicendo errare possumus.

Erronea vero sententia nemini prodest in huiusmodi negotiis. Imo tibi tuaeque uxori summe nocet, quia si coniugium per errorem dissolvatur, vos aeque ligati in aevum manebitis coram Domino. Divina namque sapientia clamat: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

Grave itaque ne tibi sit die 17 huius mensis hora decima matutina in aula sessionum huiusce curiae episcopalis nobis adesse. Quod si praedictis die et hora impediaris obtestamur ut aliud tempus condicas. Fausta interim tibi omnia precamur a Domino.

Datum in curia episcopali nennien. die 13 februarii 1893.

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Gabinus Maggi, actuarius.
(cf. *not. 21*).

(Foris) Ad eximium virum

Manium Marmori

Bononiam (cf. *not. 16*).

Die 17 februarii 1893.

Iudiciale Manii examen.

31. Manius Marmori [25] interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Dicor Manius Marmori, 36 annos natus sum, me nutriunt agri, lares habeo in oppido *Strada*.

b) Quando et quibus auctoribus de matrimonio inter te et Luciam ineundo agi coeptum est? — Labente maio anni 1885 Petrus, Luciae pater, quem ego cognovi cum militiam colui ipso duce, hasce nuptias mihi obtulit, quas ego gratas habui venustate puellae illectus.

c) Quo animo actrix excepit matrimonii tractatus? — Non ut cupiebam animum eius explorare potui. Pater enim omnia praecipitanter egit. Ipse puellam, postquam, una vel altera vice allocutus fueram, ad aviam ablegavit; ac paucos post dies ineunte mense iulio in domum aviae ad sponsalia contrahenda me convocat quasi passis plenisque velis inveheremur. Hisce ego mecum ipse gaudebam; sed male ominatus sum statim atque fui in conspectu puellae, quam vidi vultu iniucundo.

Praeterea factum, quod narrare propero, sat superque ad aperiendos oculos fuisset, nisi me obcaecasset amor. Exacta vix hora ex quo eo appuleram, genitor me praesente filiam sic affatur: Suspenso diutius animo iam haerere non potes. Nisi intra horae spatium in sponsalibus tua stet sententia, hac ipsa die Manius redibit ad propria et te ad sanctimoniales reducam.

Misella in uberes lacrimas erumpit, inquiens, quid causae est ut ita festinem? tempus mihi superest; iuvenis namque sum. Tunc parens secum eam traxit; et post duas horas reversa, dedit mihi manus dicens, pater vult ut faciamus sponsalia.

---

[25] Omittimus ea, quae respiciunt moderatores actorum iudicio praesentes ac iuramenti praestationem, quoniam eamet referuntur supra in *n. 28*.

d) An aliquando conceptis verbis Lucia significaverit tibi se respuere has nuptias? — Si mihi quidquam huiusmodi manifestasset, extemplo recessissem. At illa nunquam mihi suggessit ut susceptum eam ducendi uxorem consilium abiicerem; dictitabat dumtaxat se eo temporis nubere nolle, nunquam aversionis mihi indicia praebuit, at neque amoris; quod arrogabam tenerae eius aetati et angustiae temporis. Non plus enim quam duos menses inter sponsalia et matrimonium intercesserunt.

e) Praestititne obsequia coniugalia? — Cum per octo vel decem dies omnes animi ingeniique vires adhibuissem ut eam adducerem ad indulgendum genio, tandem aliquando acquievit, sed ex quo sensit se uterum gerere, in rerum nam coniugalium ignorantia versabatur, perpetuo abstinuit, obiiciens se ad nuptias fuisse a patre coactam, non esse uxorem aliaque id genus.

f) Quibus habitis [26].

Die 18 februarii 1893.

Citatio actricis patri, Petro Cinti, denuntiata.

32. Iulius Lupini, iuratus huius curiae episcopalis nuncius, ad tribunal remisit alterum citationis et iurisdictionis domino Catoni Lustrini delegatae exemplar, Petro Cinti denuntiandae, cui adiecit expletae denuntiationis relationem et proin sic iacet:

De mandato ill.mi et r.mi domini Catonis Lustrini, iudicis delegati, rogatur dominus Petrus Cinti ut praesentiam sui facere non gravetur in aula sessionum huius episcopalis curiae die 22 huius hora nona matutina, interrogandus super quadam causa apud dictam curiam vertente.

Datum in curia episcopali nennien. die 17 februarii 1893.

Gabinus Maggi, actuarius.

---

[26] Quae sequuntur praetermittimus, quia consona sunt iis, quae habentur in *n. 28-h.*

Refero ego Iulius Lupini huius episcopalis curiae nuncius iuratus me personaliter citasse Petrum Cinti heri hora 4 post meridiem, dimissa copia in ipsius manibus.

Iulius Lupini, nuncius.

Die 22 februarii 1893.

Petri Cinti examen.

33. Petrus Cinti (cf. *not.* 25) interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Mihi nomen est Petri Cinti, in aetate annorum 60 constitutus, dux militum, versor in oppido *Strada*.

b) Quae tibi cum Lucia vincula sunt? — Lucia filia mea est.

c) Quomodo factum est ut illa Manio nuberet? — Me auctore. Illum ego noscebam intus et in cute. Nec momento temporis dubitavi quin filiam meam ad vitam beatam eveheret.

d) Aequo ne animo Lucia tulit ut eas nuptias sibi pararet? — Antequam ad quaestionem directe respondeam, paucula praemittam oportet: cum ratione officii domo abessem ut plurimum, liberos meos non ego educatione instituere potui. Uxor autem mortem oppetiit quando actrix nonum agebat aetatis annum. Luciam eiusque sororem, quas dumtaxat mihi reliquerat uxor, moribus imbuere poterat mater mea, at illae praetulerunt se conferre ad defunctae uxoris matrem, quae versabatur in regione longinqua. Eapropter filiae meae succreverunt longe a me. Et quod deterius est moribus a meis omnino alienis. Usus illis erat alia sentire ac velle omnia, quam vellem ego. Ideoque connubium quod ei moliebar, cum aegre tulerit Lucia, ego putavi illam institutum suum tenere; eiusque oppositionem in minimis habui, certo sciens in statu felici eam collocare.

e) Quibus praesidiis filiam ad nubendum Manio adduxisti? — In primis potestatem optionemque ei feci ut inter ma-

trimonium et gynaeceum quod vellet eligeret. Non enim illam domum denuo excepturus eram nec permissurus ut ad aviam reverteretur. Posteaquam a monialibus dimissa fuerat, alapa illam aliquando percussi et in matrimonii celebratione festinationem adhibui, veritus, ne cunctando vinceret, si de connubii commodis et incommodis interim edoceretur.

f) Aversatane filia est matrimonium usque ad celebrationem? — Utique: sed cum pro certo haberem, eheu quantum mea me fefellit opinio! connubium optime cessurum, rotunde declaravi unum ei superesse remedium: obtemperare. Illa ad incitas redacta annuit, quamvis ego materque mea metu, ne ultima hora obsequi detrectaret, agitati fuerimus donec matrimonialem consensum coram parocho et testibus in ecclesia exprimeret.

g) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 24 februarii 1893.

34. Christina Silenzi [27] interrogata est et respondit prout sequitur: Item Christinae Silenzi.

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Christina Silenzi, 32 annos nata, paterno censu vivo, in civitate N. moror.

b) Cognoscis ne et quo ex tempore Luciam Cinti? quae tibi sunt cum illa vincula propinquitatis, amicitiae aut negotiorum? — Novi Luciam uno vel duobus annis antequam Manio in nuptias daretur. Nulla sumus cognatione sanguinis devinctae. Familiarissimae ac intimae factae sumus in gynaeceo N. in quo multa eram.

c) An, quomodo et quando novisti huiusce matrimonii tractatus? — Nemo praeter me cum illa erat omni tum officiorum tum consuetudinis tum familiaritatis genere coniunctus.

---

[27] Quoad praesentem aliosque testes supersedemus referre citationes, praestationem iuramenti etc. quippe quibus ea quadrant, quae prostant in *nn. 26, 27 et 28.*

Nihil proinde me celabat. Ab ipsis initiis in coenobio manifestavit mihi infelicissimam esse eo quia pater decreverat se nuptam facere; omni spe vitandi connubii destituta in eo erat ut necem sibi inferret.

d) Quare oblatas nuptias recusabat? — Nolebat se viro committi tam cito, cum puella esset aetatis tenellae. Huc accedebat ut Manium aversaretur.

e) Scis quamobrem genitor voluerit has nuptias? — Ignoro.

f) Edissere facta, quibus parens usus sit ut filiam ad matrimonium adduceret. — Paucis posteaquam de connubio agi coeptum est, Lucia longinque ad aviam maternam perrexit. Tum scripsit mihi se Manio nubere quia coacta fuerat a patre minis, etiam adhibito igniario. Et adiiciebat fixam sibi in mente esse ideam suicidii.

g) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 24 februarii 1893.

Gemmae Salustri.

35. Gemma Salustri (cf. *not. 27*) interrogata est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Nomen mihi est Gemma Salustri, 52^{um} aetatis annum ago, nullam artem exerceo, versor in urbe N.

b) Quae tibi cum Lucia Cinti consuetudo? — Cum familia Luciae 35 abhinc annis magna mihi familiaritas est. In domo eius habito quotiescunque in oppido *Strada* proficiscor et ibi versabar, cum agebatur de tradenda Lucia in matrimonium Manio..... Eaque occasione audivi et vidi eam coniugio adversari.

c) Facta enarra queis genitor usus est ut filiam ad nuptias adduceret. — Tribus circiter ante connubium mensibus, cum omnes patris a proposito removendi vias persecuta esset, quodam die submissa voce Lucia mihi dixit, ad extremum descendam consilium, nullum studium, nullam operam aut industriam praetermittam ut patrem flectam. En conclave ingreditur, ad eum pergam, suasionibus precibusque adoriar; obsecro

ut me sequaris ac adiuves. Hisce dictis patrem petit, ad eius prosternitur pedes ac humili et supplici oratione obtestatur ne se ad invisum matrimonium compellat; vitam suam ei devovere dixit nec ullum non movit lapidem ut illum ad misericordiam excitaret. At ille filiam extemplo repulit, iubens abstinere a ridicula, aiebat, comoedia insulsaque.

Huc rebus perductis Lucia protestata est nunquam factum iri ut invita denuberet; et si rapiatur ad aram, cum de consensu rogabitur, se negative coram parocho, testibus et populo responsuram. Haec audiens genitor sonora alapa misellam multavit. Tunc sese attollens filia, iusiurandum interponit et magna voce bonisque lateribus parenti denuntiat se nolle virum sibi adiungere et nihil sub sole esse quod ipsam ad id adigere valeat. At pater argumentum arripuit, quod nos ambas metu perfudit. Eductum nempe igniarium dirigit in filiam, dicens se probe nosse quomodo illam coercere queat. In eius ego brachium proruo, ut exarmem, et filiam abduco.

Nullam aliam vidi ut hanc terribilem violentiam, sed saepissime spectatrix fui paterni in filiam furoris, obiurgationum, conviciorum et saevitiarum, ita ut ille nihil intentatum relinqueret, ut ista matrimonium paternae domui anteponeret [28].

---

[28] Testes generalibus huiusmodi phrasibus uti et abuti solent, quippe quae natae sunt commovere animum audientium. At nullius apud cordatos iudices momenti sunt, quia metus incussio cum sit aliquid facti, non verbis sed factis probanda est, S. Rota coram Molines, *decis. 920, n. 17.*

a) Docet Barbosa in *op. vot. decisiv. vot. 127, n. 2:* " Metus ad annullandum matrimonium requisitus debet probari per actus exteriores, veluti mortis aut cruciatus, qui cadat in constantem virum, alias matrimonium non impeditur nec invalidatur, licet summam libertatem requirat „.

b) S. Rota in *decis. 301, n. 17, part. 11 rec.* ponderat: " Omnes testes deponunt dumtaxat d. ducem Carolum vi seu iussu patris fuisse ad matrimonium impulsum, quae generica probatio non suffragatur „.

c) Reque vera non testium, sed iudicis est aestimare num ea, quae perpetrata dicuntur talia reapse sint, ut ex praescripto legis constituant metum cadentem in constantem virum: quod praestare nulla ratione poterunt magistratus, nisi facta a testibus narrentur cum circumstantiis.

d) Rem explicat cumulatis auctoribus, Barbos. *tractat. var., axiom. 73, nn. 1 et seqq.;* (ibi) " Facti narratio non facit ius, sed iuris dispositionem

d) An Lucia Manio ante matrimonii celebrationem significaverit se nubere invitam? — Ad rem hoc unum referre possum, scilicet, cum Manio aliquando post nuptias querenti de amoris defectu ex parte uxoris, ego respondissem Luciam neque ante matrimonii celebrationem argumenta amoris ei exhibuisse; et me vix intelligere cur illam sibi matrimonio coniunxerit; ille mihi dixit: sperabam me assecuturum ut subinde eam mihi amoris vinculis devincirem; sed toto coelo erravi.

e) Noscis ne factum aliquod ex quo liqueat an Lucia timere seu potius spernere iure debuerit patris minas? — Patet

---

inducit, quia ex facto ius oritur.... sicut ex facto ius oritur, ita ex facto ius moritur.

Unde evenit ut propter minimam facti mutationem mutetur totum ius etsi unico in puncto varietur factum.... Congruum consilium dari non potest a iurisconsulto, nisi factum percipiat.... Si factum non est certum, iurisconsultus non potest respondere.... Mutatione facti, mutatur etiam consilium..... Secundum diversitatem punctorum redditur diversum consilium... factum incertum non potest expectare consilium certum.... Mutatio terminorum alterat et mutat censuram iuris „.

e) Praeter memoratas intrinsecas, ut ita dicam, magno usui esse solent circumstantiae facti extrinsecae: v. gr. anni, mensis, diei, horae, quibus factum contigit, ac aliorum, testium, qui facto interfuerunt vel audierunt tempore non suspecto.

Exemplo rem explano: In causa nullitatis matrimonii, civitatis N. die 16 decembris 1893 contra actorem tandem a S. C. C. dirempta, posteaquam tribus vicibus in discussionem adducta fuerat, haud leve negotium principio faciebat testis N., quippe qui iurabat: " Quodam die, dum pater et filius mensae accumbebant, hunc nuptiis ab illo oblatis repugnantem, genitor, me praesente quippe qui cibum inferebam, e coenaculo eiecit. Et filius ea die non rediit ad patrem „.

f) Sed fervente litis aestu compertum est praenarrato facto praeter dictum N. duos alios testes interfuisse, quorum alter recitatae altercationis causam matrimonio non audebat ascribere, alter vero, sacerdos, excludebat connubium et aliam causam a coniugio toto coelo diversam afferebat. Quinimo interea temporis exhibita est actis epistola, in qua pater filio ignoscebat crimen i. e. altercationem. Quae quidem epistola data est anno et amplius antequam de nuptiis cogitaretur.

Tantum aberat ut factum illud a teste N. impenso studio relatum quidquam cum sacro foedere in controversiam adducto commune haberet!

omnibus matrem actricis e fenestra se proiecisse, cum sibi ultionem ille minitatus esset ob quandam, quam ipse interceperat ac reseraverat, uxoris epistolam.

f) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 24 februarii 1893.

Iurisconsulti Stecchini.

36. Paulus Stecchini (*cf. not. 27*) interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Appellor Paulus Stecchini, in 39° aetatis anno versor, iurisconsultus ago, commoror in oppido *Strada*.

b) Quae tibi sunt cum coniugibus vincula? — Manius mihi sobrinus est.

c) An, quomodo et quando nosti matrimonii tractatus? — Matrimonii tractatibus perdurantibus, a Lucia audivi patrem matrimonium ardenter expetere. Fama ferebat eum nihil antiquius habere, quam se filia expedire. Ille enim, ceu probe scio, moribus praesentibus, suo ingenio et cum voluptate vivebat.

d) An et a quo ante connubii celebrationem Manio significatum fuerit Luciam nubere invitam? — Non diu post expletas nuptias accepi a Manio Luciam nunquam sibi amoris argumenta tribuisse. Inter alia sequens factum mihi narravit: sponsalia absoluta sunt in domo maternae aviae Luciae, quo puella paterque paucis ante diebus profecti erant. Statim atque eo appuli, in viridarium ille accersit filiam et sic affatur: tandem aliquando finis imponendus est; si intra unius horae spatium sponsalia cum Manio, qui astat, haud inieris, hodie ille rediet ad propria, te vero ad gynaeceum reducam.

Haec audiens, ego recessi ut liberius discuterent ac quid sibi magis arrideret consilii caperent. Hora circiter elapsa, puella comitante nemine pergit ad me, et magnam lacrymarum vim perfundens, mihi renuntiat: ergo desponsati sumus, quoniam pater sic iubet; sed dolet mihi, quod vi ad coniugium me compellat. — Cum sobrino dixissem: "Si ita est,

cur eam tibi iugasti? „ ille retulit: " Ego amore eius deperibam, repugnantiam ascribebam aetatulae ac brevi evanituram confidebam. Sed res peior in dies reddita est „.

e) Scis ne quamobrem Manius Luciae valedixerit? — Paucis antequam a coniuge discederet, Manius venit ad mecum colloquendum: Lucia, inquit, nec se uxorem nec me virum suum esse proclamat; famam existimationemque meam pessumdat, me reddit coram omnibus ridiculum; diutius sustinere non valeo, honori meo prospicere habeo, quod non alia ratione assequar quam quodcunque cum illa rumpendo vinculum. Nec ego ab eo dissentire potui.

f) Noscis ne factum aliquod ex quo arguere liceat num Lucia timere seu potius spernere iure debuerit patris minas? — Compertissimum est matrem Luciae fata sua praecipitasse e fenestra se proiiciendo. Fama vero nunciat desperatum eam consilium iniisse occasione, qua vir interceperat ac reseraverat quandam eius epistolam. Ad tantum sui timorem Petrus uxoris animum traduxerat!

g) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 24 februarii 1893.

Laetitiae Sangeni.

37. Laetitia Sangeni (cf. *not. 27*) interrogata est et respondit, prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Nuncupor Laetitia Sangeni, 29 annos nata, sum actricis famula.

b) Quo ex tempore noscis Luciam C.? — Quando de matrimonio agi coeptum est, iam tum ego meas operas actrici locatas habebam.

c) Quid observasti durantibus connubii tractatibus? — Patrem inter et filiam spectabam contentiones, obiurgationes, contumelias, querimonias perennes; illum semper infensum, istam tristem, nuptiis repugnantem: domus eorum verus infernus erat [29].

[29] Ut huiusce et sequentis quaestionis, quae praesenti aliisque testibus

d) Enarra peculiaria facta, quibus pater filiam ad consentiendum in matrimonium adducere studebat. — Factum speciale unum recordor: die quo sponsalia inita sunt in domo maternae actricis aviae, ego e cubili attiguo Luciae conclavi audivi dialogum inter istam et genitorem; qui filiae denuntiabat coniugii necessitatem. Quod si resistere audeas, inquiebat, hodie ante solis occasum te remittam ad sanctimoniales. Infelix puella respondebat se nolle virum sibi adiungere et abhorrere a Manio.

e) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 24 februarii 1893.

38. Catharina Cinti (cf. *not. 27*) interrogata est et respondit prout sequitur: Catharinae Cinti.

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Appellor Catharina Cinti, 28^{um} aetatis annum necdum explevi, alunt me praedia, in pago *Strada* sedem habeo.

b) Quae inter te et actricem necessitudo? — Sorores sumus.

c) Quid scis de tractatibus qui matrimonium in controversiam adductum praecesserunt? — Scio, quia praesens fui,

---

positae sunt, ratio scateat, audiendus est Sabellius *summ. divers. tract.* § *Metus, n. 3;* (ibi): " Metus iustus cadens in constantem virum, ut talis dicatur quinque conditiones copulative requiruntur. Prima ut malum quod timetur sit grave, secunda ut aestimatio mali sit fortis, idest ut timens non vane aut leviter credat malum illud sibi imminere, sed probabiliter; tertia ut metum incutiens potens sit minas exequi, cum non sit viri constantis ac fortis quibuscunque minis terreri, ac trepidare ubi non est timor; quarta ut sit solitus exequi minas, secus si sit homo iactabundus et facilem iram deponens; quinta ut timens non possit facile occurrere malis quae sibi timet imminere, quia si posset alia ratione mederi, non est iustus metus „. Schmalzgrueber *ius. canon. part. 5, tit. 40, n. 3* concludit: " Ex quo sequitur quod omnis ille metus qui quinque conditionibus instructus non est, non sit gravis metus respectu illum patientis „.

tribus vel quatuor antequam connubium iniretur mensibus, patrem actrici illud proposuisse; hanc autem respondisse se nolle tam cito virum sibi sumere et multo minus Manium, quem non amabat, quippe cui obtusior esset ingenii acies.

d) Ede facta, ad quae genitor recursum habuit, ut reluctantem filiae voluntatem flecteret. — Tractatus matrimonii, brevi, intra tres vel quatuor menses, ut innui, ad metam perducti sunt; et quando factae sunt nuptiae, iam a paterna domo discesseram. Paucis vero diebus, quibus domi permansi, saepe meis ipsa oculis vidi Luciam in uberes lacrimas erumpere; et auribus audivi patrem illi dicentem se impossibilem redditurum eius apud se commorationem, nisi citatis equis denuberet.

Nec detrectavit executioni mandare quod comminabatur. Passim enim comminiscebatur praetextus eam obiurgandi. Et quoniam soror in deliciis habebat aviam maternam peregre degentem invisere, tum tantum id illi indulsit, cum promisit se in Manium consensuram. Reque vera in aviae domo sponsalia paucis post diebus celebrata sunt. De auditu autem a sorore didici illam a parente saepe concussam et aliquando parum abfuisse quin profligaretur.

e) Quid Lucia praestitit ut genitorem a proposito removeret? — Contendere non audebat cum illo; quippe quem valde timebat. Nec ei praesto erat auxiliator. Matre enim misella carebat; paterna avia conspirabat cum filio; qui praeterea coniugii a se excogitati emolumenta adeo dicendo amplificaverat aviae maternae ut et ista, mala valetudine et aevo ingravescente pressa, nuptias tandem aliquando Luciae suaderet.

Interrogata ex officio: Nonne fieri potest ut ultima saltem hora nuptias actrix libere acceptaverit? — Non puto. Nam mane ipso nuptiarum die vidi eam nervis graviter laborantem ac adeo irritatam, animum ut neque posset ad cogitandum instituere. Et absolutis nuptiis, cum avia illam instruere pertentasset de coniugalibus officiis, ad me venit obiurgans, quia non ipsam docueram, ac inquiens se minime gentium nupturam fuisse, si ea esse munia maritalia scivisset.

f) Edissere facta ex quibus colligere liceat Luciam merito seu potius leviter patrem timuisse. — Ego usquedum in paterna domo perseveravi optimum factu duxi nunquam patri resistere, et cum in eo eram ut nuberem, ad domum religiosarum mulierum convolavi, quia futurus vir praecepit ut parenti valedicerem. Ceterum mater ipsa sua illum metuebat.

g) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 24 februarii 1893.

Sophiae a Corde Iesu.

39. Sophia a Corde Iesu (cf. *not. 27*) interrogata est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Vocant me Sophiam a Corde Iesu, sum 67 annos nata, sanctimonialium loci N. praeses.

b) Quae tibi cum Lucia consuetudo? — Novi eam, 15^{um} aetatis annum agentem, cum mihi, gynaecei N. praesidi, concredita est a parente et ab avia. Tres annos nobiscum permansit et subinde ad nos se saepe applicavit.

c) An et quando nosti matrimonii tractactus? — Ab ipsis initiis. Nam pater et avia, quippe qui non cum ea pacem habebant, connubium Luciae cogitarunt eomet actu quo illam domum revocaturi erant.

d) Quo animo Lucia accepit nuptias sibi a patre oblatas? — Id aegre tulit; quippe quae nec matrimonio parata erat nec Manii mores, ingenium, voluntatem, mentem, studia, rationes, consuetudinem affatim, prout ipsa optabat, explorata habebat.

e) Quae causa parentem impulit ut filiam Manio committeret? — Lucia eximio ingenio, bona benignaque voluntate praestat, at ita est eius consuetudo, prae inconstantia potissimum difficilis ut quisquis eam aegre ferat. Nos etiam post triennium illam dimittere debuimus. Mirum itaque non est quod pater et avia animo lubenti prolixoque eam viro, qui primus obvius fuisset, collocarent; bona fortasse etiam fide, putantes felicitati puellae prospicere, dum illius detrimento commodis ipsi suis serviebant.

f) Noscisne factum aliquod ex quo arguere liceat Luciam fuisse ad connubium vi metuve a patre compulsam? — Nunquam ego auditu meo vel visu deprehendi aliquod huiusmodi factum, sed Christina Silenzi, Luciae intima, mihi aliisque monialibus narrabat se didicisse ex eius literis patrem in misellam adhibuisse etiam minas igniarii. Nobiscum vero illa semper querebatur de vita intolerabili, quam sibi reddebat genitor ut ad nubendum Manio ipsam adduceret; de reprehensionibus, obiurgationibus, maledictis, quibus perpetuo afficiebatur pro re nullius momenti vel absque ulla prorsus ratione.

Ex his ego pro certo habebam Luciam neque tum neque Manio nupturam fuisse, si animo suo morem gerere potuisset. Nec dubito quin quencunque connubii tractatum abruptura fuerit, si pater exempli ergo in pervigilio nuptiarum ex improviso disparuisset.

g) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 24 februarii 1893.

Publicatio processus.

40. Huc rebus perductis, cum defensor matrimonii nullam aliam probationem exquirendam esse declaraverit, iudex delegatus Cato Lustrini processum matrimonii inter Luciam, natam Cinti, et Manium Marmori initi aperuit et publicavit ac pro publicato haberi voluit copiamque volentibus fieri, servatis servandis, prouti de iure, mandavit.

Cato Lustrini, iudex delegatus.
Severinus di Legge, defensor matr.
Gabinus Maggi, actuarius [30].

---

[30] Instructione a S. C. C. die 22 augusti 1840 edita cavetur: " Quatenus defensori matrimonii nulla alia probatio exquirenda videatur, nullamque putet iudex prae sua diligentia assumendam, finis imponetur probationum collectioni et publicabitur processus, edito super hoc decreto a iudice factisque subscriptionibus ab eo, a defensore matrimonii et a cancellario.

Ill.me et R.me Iudex,

Defensio actricis.

41. Onus, quod nobis suscepimus, demonstrandi Luciam Cinti Manio Marmori nupsisse metu in constantem virum cadente adductam, paucis absolvimus.

Principio, pater in Luciam dictis et factis ita se gessit, ut istius cohabitationem cum genitore intolerabilem efficeret. Hoc erumpit ex iuratis testium, Gemmae Salustri *n. 35-e,* Pauli Stecchini *n. 36,* Laetitiae Sangeni *n. 37,* Catharinae Cinti *n. 38,* et Sophiae a Corde Iesu *n. 39* depositionibus. Qui quidem testes consensu unanimi fidem faciunt de assiduis reprehensionibus, obiurgationibus, contumeliis, et saevitiis quibus Petrus Cinti usus est, ut filiam compelleret ad connubium domui paternae praeferendum.

Nec Lucia, si in proposito non nubendi perseveraret, sperare poterat se iratum patrem sedaturam visuramque eius vultum aliquando serenum. Is enim est Petrus ut potius sinat oculos sibi erui quam conceptam iram deponere. Is est ut mater ipsa eius indignationem pertimescat, ceu testatur Catharina Cinti *n. 38.* Uxor, ut eius ultionem effugeret, se proiecit e fenestra, testibus, Gemma Salustri *n. 35,* et Paulo Stecchini *n. 36.* Soror actricis, cum in eo esset ut nuberet, dissentiente patre, ex consilio futuri viri, a parente aufugiens, in sanctimonialium domum se recepit (cf. *n. 38-f*).

Haud tantum ad irritandum matrimonium exigit vir in hac re facile princeps Sanchez *de matr. lib. 4, disput. 6, n. 14,* (ibi): " Si filia timeret probabiliter diuturnam futuram fore indignationem et semper se habituram patrem valde infensum et indignatum obiecturumque passim illam inobedien-

---

Haec habenda methodus. Quae in actis continentur, nemini nec ipsis quidem coniugibus eorumque defensoribus erunt communicanda ante processus publicationem, uno excepto defensore matrimonii cui libera semper et quandocumque erit actorum inspectio et examen.

Locus deinde erit defensionibus. Liberum etiam erit defensori matrimonii post processus publicationem novas probatione exquirere, cum agat favore sacramenti „.

tiam, crediderim esse timorem cadentem in virum constantem. Quis enim vir constans et prudens non reputabit grave malum semper coram oculis habere infensum patrem cum quo semper versaturus est? „

Roget quis nonne poterat Lucia genitoris indignationem vitare ad monialium redeundo domum? Respondeo: compertissimum est infelicem puellam ingenium sortitam esse difficile et experientia trium annorum comprobatum eam in gynaeceo absque gravi suo et religiosarum incommodo permanere haud posse. Et proin gynaecei praeses illam dimittere coacta est (cf. *n. 39-e*) nec amplius exceptura, cum neminem lateat suam quenque naturam sequi.

Tametsi haud indignatione, contumeliis saevitiisque contentus fuit Petrus, at colaphis cedere praeterea filiam ausus est, concutere et una vice parum abfuit, quin eam profligaret, testibus Gemma Salustri *n. 35*, Catharina Cinti *n. 38*, neque ipsemet parens diffitetur. Imo non abhorruit filiam terrere igniario, ut referunt memorata Gemma Salustri et Sophia a Corde Iesu.

Quod autem longe deterius est, ille actricem tam ad sponsalia quam ad matrimonium pertraxit data opera ne miserae tempus et mens serena superessent ad actus adeo graves iudicio certo examinandos. Siquidem ad sponsalia spatium unius vel duarum horarum concessit, ut iurant Manius *n. 31*, et Paulus Stecchini *n. 36*, ad matrimonium vero licet sex menses promiserit, intra duos tamen illud celebratum est, ceu testatur Manius *cit. n. 31*.

Suo vero ipse ore Petrus profitetur se nuptias ursisse, veritus ne filia eas evitaret cunctando, si, ut opus erat de re instrueretur. Quod cum ita sit, coniugale foedus in controversiam adductum nedum secundum quid, verum etiam omnino involuntarium Luciae fuit. Eam enim pater ad aram rapuit, ipsius abusus imperitia. Iam vero ex *lege 15 ff. de iurisdict. omn. iudic.* nihil tam contrarium consensui est quam error, qui imperitiam detegit [31]. Cf. Sanchez *de matrim. lib. 10,*

---

[31] *Lex 15 de iurisdict. omn. iudic.,* in qua Luciae patronus praesidium

disput. 9, n. 2, Barbos. *in ius pontific. lib. 1. decretal., tit. de iis quae vi etc., cap. 6, n. 2.*

Dat. Nennii die 12 martii 1893.

Appius Silenzi, Adv.

Ill.me et R.me Iudex,

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio.

42. Doleo quod eximius Luciae Marmori natae Cinti patronus, dum omni contentione nervorum amplificat iuridicam consequentiam factorum, quae adversi testes commemorant, minime expendat num ea facta in probatis sint. Meum itaque est hisce paulisper immorari.

Certo inter facta in medium ex adverso allata maioris momenti illud esset, quod actricis pater connubii celebra-

---

quaerit, in haec verba scripta est: " Si per errorem alius pro alio praetor fuerit aditus, nihil valebit, quod actum est: nec enim ferendus est, qui dicat consensisse eos in praesidem: cum (ut Iulianus scribit) non consentiant qui errent. Quid enim tam contrarium consensui est, quam error, qui imperitiam detegit? „

Barbosa in *cap. 6 de iis quae vi metuve* etc. (ubi Innocentius III firmam renuntians professionem a patribus cisterciensibus emissam edicit: " *Non obstante dolo, quo se proponebant fuisse seductos: cum talis dolus non tam ad circumventionem praedictorum cisterciensium, quam ad fatuitatem eorum debeat retorqueri* „) advertit: " Ergo a contrario sensu quando dolus non pertinet ad fatuitatem, sed in hominem prudentem merito caderet, vitiabitur professio „.

Sanchez *de matrim. lib. 10, disput. 9, n. 21* tradit: " Hinc deducitur solum errorem vel dolum circa substantialia irritare professionem, sicut et matrimonium, ut si quis putans se profiteri in quadam religione v. gr. D. Dominici, profiteretur in D. Francisci religione. Aut quando esset notabilis deceptio circa institutum et substantialia regulae quam profitetur ille. Talis enim error liberam voluntatem tollit. Cum nil magis consensui, quam error adversetur..... Et cum talis error circa substantialia contingit, nil refert, fatuusne sit, an in virum prudentissimum cadens; utroque enim casu irritabit in foro conscientiae professionem. Quia vere consensum aufert.

Quare dum doctores petunt ad professionis irritationem, ut dolus in virum prudentissimum cadat, loquuntur ad praesumptionem fori externi: quod minime dolum in alio eventu praesumet „.

tionem festine executus foret, metu concitatus, ne filia nuptias respueret, si earum commoda et incommoda prout de iure cognosceret ac aequa iudicii lance libraret. At factum huiusmodi demonstratum censeri iure nequit, quia pendet a fide unius Petri Cinti. Iam vero praeterquam quod neminem latet forense axioma: " *testimonium unius, testimonium nullius* „, cordatus quisque videt Petrum non esse testem integrum, quippe qui pater est actricis et prodit turpitudinem suam.

Tametsi vix intelligo quomodo ille, dum asserit se fuisse timore perculsum, ne filia nuptias respueret, si eas ponderare posset mente serena, veritati obsequi valeat, quin vim veritati adhibeat, quando iureiurando affirmat *se certo scivisse filiam per matrimonium in statu felici collocare, pro certo habuisse connubium optime cessurum n. 33-c et d.* Quocirca testimonio Petri obstat etiam vulgatissimum adagium: " *semel mendax, semper mendax* „.

Alapa vero, concussio personae, ictus igniarii comminatio, ad quae, si adversum audias oratorem, recursum habuit pater ut actricem ad coniugium impelleret, nec ipsae in demostratis sunt. Profecto comminationem ictus igniarii unus dumtaxat testis vidit, nempe Gemma Salustri *n. 35,* et Christina Silenzi accepit ab interesse habente, ab ipsamet scilicet actrice *n. 34.* De alapa pariter, praeter dictam Gemmam, testatur tantum genitor actricis *n. 33;* concussam autem a parente actricem ac fere prostratam una testatur soror, et quidem non de propria scientia sed de auditu ab ipsa Lucia. Ceterum alapa, profligatio vel etiam in terram deiectio, ictus igniarii comminatio, semel solum adhibitae non facile timorem cadentem in constantem virum inferunt.

Paucis demum me ab iis expediam, quae contradictor congerit de metu reverentiali. Quod praeprimis nutat in iure, quemadmodum tradit Sanchez, *de matrim. lib. 4, disput. 6, n. 7* [32]. Nec obiicias mihi eundem auctorem *loc. cit. n. 14,*

---

[32] Doctoribus circa metum reverentialem in diversas sententias abeuntibus Sanchez *de matrim. lib. 4, disp. 6, n. 7* inquit: " Ultima sententia

docere timorem reverentialem, ex se, absque minis aut verberibus aut alio metu gravi sufficere ad annullandum matrimonium, si filia probabiliter timeret diuturnam fore indignationem et semper ob oculos habituram infensum patrem a quo pendet et cum quo semper versatura est. Lucia namque poterat ad moniales, quae paratae erant, eam iterum excipere, si meliorem vitae rationem iniret. Neque grave illi iure esse debebat perseverare in gynaeceo per tres annos, idest donec a patria exiret potestate.

Deinde metus ipse reverentialis exploratus haud iure censetur. Licet enim illum quatuor testes, nempe Gemma Salustri *n. 35,* Laetitia Sangeni *n. 37,* Catharina Cinti *n. 38,* et Sophia a Corde Iesu *n. 39,* commemorent, omnes tamen testes isti producti sunt ab actrice; ne unus quidem ex adverso aut ex officio editus est. Iamvero incivile et periculis plenum est fidere in testibus a parte tantum interesse habente datis.

Dat. Nennii ex curia episcopali die 27 martii 1893.

Severinus di Legge,
Defensor matrim. ex officio.

(quam multo veriorem reputo) docet solum metum reverentialem, nisi minae aut verbera aut alius metus gravis illi adiungatur, non cadere in virum constantem ac proinde nec annullare matrimonium nec alios contractus rescindere „.

Deinde *(loc. cit. n. 14)* ad rem adiicit: " Tertio infertur, si filia matrimonium contrahat non praecedentibus minis, solum eo timore ne patris indignationem incurrat, esse validum; non is metus censetur cadens in virum constantem. Hoc tamen moderarer, ut intelligatur quando indignatio illa patris vel viri non diu permanebit, sed spes est futurae reconciliationis, si enim timeret probabiliter diuturnam fore indignationem, et semper se habituram patrem aut virum valde infestum et indignatum, obiecturum passim illam inobedientiam, crediderim esse timorem cadentem in virum constantem. Quis enim vir constans aut prudens non reputabit grave malum semper coram oculis habere infensum patrem aut virum aut alium a quo pendet et cum quo semper versaturus est: maxime cum vix invenias qui linguam moderari valeat, ne male sentiat peiusque loquatur de eo, cui infestus est. Et confirmatur, quia vir prudens ita grave hoc existimat ut potius eligat relicta patria domoque paterna exul esse „.

Die 2 aprilis 1893.

Iudex iubet actricem et reum in ius vocari ad audiendam definitivam sententiam.

43. Cum Severinus di Legge, matrimonii defensor ex officio, percontatus, respondisset, sibi nihil amplius deducendum aut inquirendum esse [33], ill.mus ac r.mus Cato Lustrini iudex delegatus iussit Manium Marmori et Luciam natam Cinti in ius condici diem 20 huius ad audiendam definitivam sententiam in causa matrimonii inter ipsos vertente [34].

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Gabinus Maggi, actuarius.

Die 3 aprilis 1893.

Nuncius tertium memoratarum citationum exemplar ad tribunal remittit una cum expletae denuntiationis relatione.

44. Iulius Lupini iuratus huius episcopalis curiae nuncius ad tribunal tertium memoratarum citationum remisit exemplar, cui denuntiationis expletae relationem adiecit; et proinde sic iacet;

Nos Cato Lustrini, iudex delegatus, Manium Marmori et Luciam natam Cinti citamus ut die 20 huius mensis hora decima matutina in iudicio sistant personaliter vel per legitime constitutum procuratorem ad audiendam sententiam in causa nullitatis matrimonii inter citatos Manium et Luciam vertente. Praeterea monemus eosdem praefatam sententiam dicto die, sive ipsi interfuerint sive abfuerint, aeque proditum iri.

Datum in episcopali curia N. die 2 aprilis 1893.

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Gabinus Maggi, actuarius.

---

[33] Saepe cit. Instructio S. C. C. ad rem habet: " Omnibus absolutis et cum nil amplius deducendum censuerit defensor matrimonii, sententiam proferet episcopus „.

[34] Pellegrin. *cit. prax. vicar. part. 2, sect. 2, subsect. 45, nn. 1 et seq.,* (ibi): " Iudex tenetur citare et monere partes ad audiendam sententiam definitivam specifice et nominatim, alias sententia non valeret.... Quae con-

Refero ego Iulius Lupini huiusce episcopalis curiae nuncius iuratus me citasse Manium Marmori et Luciam natam Cinti heri hora quarta post meridiem, domi dimissa copia [35].

Iulius Lupini, nuncius.

Die 20 aprilis 1893.

45. In causa nullitatis matrimonii inter Luciam natam Cinti actricem et Manium Marmori reum vertente; Legitur et publicatur sententia.

Viso libello, in quo Lucia contendit se a Petro Cinti, patre, ad nubendum Manio Marmori compulsam fuisse metu, cadente in constantem virum, doloque malo;

Viso testimonio Terentii Canzi, rectoris parochiae *Strada*, ex quo constat de sacro foedere Luciam inter et Manium die 15 septembris 1885 inito;

Visa epistola qua praefatus parochus renuntiat se reconciliationem coniugum, Luciae et Manii, curasse incassum;

Auditis actrice et reo necnon testibus ab ea productis;

Ponderantes vexationes quibus Petrus Cinti obnisus est intolerabilem secum filiae reddere cohabitationem ut eam ad Manium sibi virum sumendum pertraheret, ceu patet ex literis tam a patre quam ab actrice ad respective soceram et aviam tempore non suspecto datis, et confirmatur ex unanimi testium iuramento;

Considerantes Luciam hac patris agendi ratione eo adductam fuisse ut non haberet ubi caput reclinaret. Non enim illam iterum excepturae erant moniales, quia praevidebant

---

clusio est adeo vera, ut si iudex faceret citare partes ad audiendam eius voluntatem vel alio modo simili, qui contineret verba aequipollentia, adhuc sententia lata non valeret, quia requiritur expressa et specifica citatio ad sententiam „.

[35] Ridolphinus *prax. iudic. part. prim., cap. 2, n. 60* tradit: " Citationes executae domi dimissa copia sunt iure validae.... sed hoc procedit, quando fuit facta prima citatio personalis.... vel quando fuit facta diligentia de exequendo primam citationem personaliter et citandus non potuit reperiri „.

non praestituram quae promittebat invita Minerva. Praesto illi erat avia materna. At si femina ultimae senectutis et corde laborans decessisset, quid contingeret actrici quippe quae eo migrasset contra vetitum genitoris vindictae cupidi?

Perpendentes festinationem in negotio a Petro adhibitam ne puella ea, qua par est, maturitate impensa consilii et mentis serenitate, nuptiis se subtraheret. Quod factum vel ex se solo sat superque est ad annullandum matrimonium, l. 15, ff. *de iurisdict. omn. iudic.*, Sanchez, *de matrim. lib. 10, disput. 9, n. 2,* ac Barbos., *in ius pontific., lib. 1. decretal. de iis quae vi etc., cap. 6, n. 2.*

Neque negotium facessit quod unus pater testetur de intentione a se habita in festinatione matrimonii. Perperam enim de intentione quaeris, cum factum ipsum compertissimum sit atque eloquentissimum.

Multo minus movet nos obiectio quod testes omnes producti sint ab actrice. Nam praeterquam quod eorum religionem perspectam habet curia episcopalis, de parvo oppido agitur, in quo ut dici solet, incolae mane noscunt quot ova pridie gallinae in vicinia pepererint.

Praemissis aliisque visis ac consideratis de iure considerandis, nos Cato Lustrini vigore facultatum nobis concessarum a R.mo Episcopo nennien. solum Deum prae oculis habentes, dicimus, declaramus et pronunciamus constare de nullitate matrimonii inter Luciam natam Cinti et Manium Marmori initi, salva tamen legitimitate prolis. Ita hoc et omni meliori modo (cf. *not. 4*).

Lata, lecta et publicata fuit die 20 mensis aprilis anno 1893 in civitate nenniensi.

Cato Lustrini, iudex delegatus.

Gabinus Maggi, actuarius.

46. In continenti defensor matrimonii Severinus di Legge a suprascripta sententia appellavit [36].

Sacri foederis vindex appellationem interponit.

Gabinus Maggi, actuarius.

47. Sacra Congregatio Concilii die 24 februarii 1894, ad dubium: " An sententia episcopalis curiae N. sit confirmanda vel infirmanda in casu? „ respondit: " Sententiam esse confirmandam „.

S.C.C. ratam habet sententiam primi gradus.

---

[36] Cit. Instructio Concilii ad rem docet: " Si hac (sententia) matrimonii nullitas decreta fuerit, debebit defensor matrimonii appellare iuxta citatam constit. *Dei miseratione,* nec poterunt coniuges ad alia vota transire nisi post obtentam alteram sententiam conformem super nullitate, sub poenis contra polygamos constitutis in citata const. *Dei miseratione.* Deinde transmittenda erunt acta ab episcopo ad iudicem, ad quem provocatum fuit, in copia authentica, soluta per partem diligentiorem competenti mercede cancellario „. Sacra vero Congregatio S. Officii decreto diei 5 iunii 1889: statuit: " Quando agitur de impedimento disparitatis cultus et evidenter constat unam partem esse baptizatam, et alteram non fuisse baptizatam, quando agitur de impedimento ligaminis, et certe constat primum coniugem esse legitimum et adhuc vivere; quando denique agitur de consanguinitate et affinitate ex copula licita aut etiam de cognatione spirituali aut de impedimento clandestinitatis in locis ubi Decretum Trid. *Tametsi* publicatum est, vel ut tale diu observatum; dummodo ex certo et authentico documento, vel in huius defectu, ex certis argumentis evidenter constet de existentia huiusmodi impedimentorum, super quibus Ecclesiae auctoritate dispensatum non fuerit; hisce in casibus, praetermissis solemnitatibus in Constitutione Apostolica *Dei miseratione* requisitis, matrimonium poterit declarari nullum, cum interventu tamen defensoris vinculi matrimonialis, *quin opus sit secunda sententia* „.

SPECIMEN TERTIUM

ARGUMENTUM.

Gemma Genuini producit sex testes ut evincat se Servio Serventi denupsisse invitam, a patre vi metuve coactam. Contra quinque testes auditi ex officio renuntiant nupturientes vehementi adinvicem amore exarsisse. Iudex de matrimonii nullitate non constare censet.

Ill.ma et R.ma Curia Episcopalis (cf. *not. 1*) *Nennien.*

Iudicii libellus.

48. Gemma Marmori nata Genuini, in urbe N, via Fiamma, n. 9, intra Parochiae sancti Thomae fines sedem habens (cf. *n. 2*) ad Excelsum Tribunal deducit quae sequuntur:

Vertente anno 1881 sub die 9 mensis februarii Servio Serventi, quartum supra vigesimum aetatis annum agenti, actrix, unum et viginti annos nata (cf. *not. 3*), a patre in matrimonium tradita est.

At Gemma a Servio naturali odio refugebat. Ideoque genitorem, statim atque hasce nuptias cogitavit, precata est ut consilium mutaret.

Sed oleum operamque perdidit. Nam precibus et filiae obsecrationibus parens respondebat vexationibus, minis atque verberibus; et postquam misella incassum obnisa fuerat veneno mortem sibi inferre, ad parochum et municipii praesidem rapta est, ubi de consensu in Servium rogata, respondit affirmative, minaci genitoris aspectu perterrita.

Nuptias ita conciliatas actrix nullo temporis momento ratas habere aut agnoscere voluit. Imo neque ad viri domum pedem admovit; sed ille venit ad uxoris aedem ibique paucis diebus mansit, quia cito dissociati sunt; et die 20 decembris 1883 laicum civitatis N. tribunal vinculum civile cassavit [37].

[37] In *not. 6* demonstravimus libellum nullo in pretio haberi a iudice, nisi actio intentata veri appareat similis. Gemma seu potius eius patronus

Placeat itaque Excelso Vestro Tribunali praesens coniugium quocumque iuris robore destitutum renuntiare, prout ardentissime petit et instat oratrix hoc et omni meliori modo (cf. *not.* 4).

Die 2 ianuarii 1884.

49. A domino Zenone Piatti, uno ex patronis ab Ordinario approbatis [38], exhibitus est suprascriptus libellus una cum allegato, in haec verba scripto. Libelli oblatio.

Alleg. 1 (cf. *not.* 16).

Gabinus Maggi, actuarius.

Die 4 ianuarii 1884.

50. Perlectis libello et allegato supra allatis ill.mus et r.mus Iustinus Senni vicarius generalis admodum r.ndo Paulo Lenti parocho ecclesiae S. Thomae et coniugum, Gemmae natae Genuini ac Servii Serventi, proprio, committit ut sedulo curet eosdem mutuo reconciliare; et de resultantibus hanc curiam certioret. Iudex actricis et rei parocho committit ut curet coniugum reconciliationem.

Iustinus Senni, vic. gen.
Gabinus Maggi, actuarius.

---

id praestare autumavit mentionem faciens de nexu civili per laicum tribunal cassato. Sed immerito. Tanta enim iam esse solet apud laica tribunalia facilitas solvendi vincula quae per summam iniuriam matrimonia nuncupant, ut ecclesiastici iudices prudenter agant, si sententiis illis nec fumum veritatis ad inchoanda iudicia necessarium ascribant, nisi rationes quibus sententia innititur, prius rimati fuerint aut perspectam habeant saecularis magistratus religionem et peritiam aliaque id genus. Non itaque laudandus praesens iudex, qui laicae sententiae mentione contentus processit ad ulteriora.

[38] Prudenter se gessit Gemma Genuini, dum patronum sibi inter advocatos ab Ordinario loci approbatos elegit. Ecclesiasticae enim curiae facultatibus utentes Instruct. EE. et RR., diei 11 iunii 1880, art. 30, sibi concessis, haud facile iurisconsultos non expresse a se approbatos ad actitandas causas admittunt.

Ill.me et R.me Iudex,

Actrix ab instituta actione desistere renuit.

51. Literis a Dominatione Tua die 4 huius mihi datis obsequens, Gemmam Serventi natam Genuini hesterna die allocutus sum; quae mori potius atque se acheronta movere parata ostendit, quam coniugalem cohabitationem cum Servio Serventi restaurare.

Salutata Gemma recto tramite ad Servium perrexi; quem animo deprehendi ab uxore haud alieno; sed rotunde professus est Gemmam inflexibilem esse ac se illi removendae imparem. Eapropter conciliationis, ita ille, curam omnem abieci; tu constitues quod tibi videbitur; ego non me interpono.

Virum non minus quam mulierem sui quenque propositi tenaces atque inexorabiles expertus sum.

Datum ad S. Thomae die 7 ianuarii 1884.

Dominationis Tuae

Observantissimus subditus
Paulus Lenti, parochus.

Die 8 ianuarii 1884.

Iudex ad matrimonii defensorem ex officio transmittit acta causae.

52. Ill.mus et r.mus dominus Iustinus Senni vic. gen. decrevit: Transmittantur acta ad admodum r.ndum d.num Severinum di Legge, matrimonii defensorem ex officio, qui illis perlectis non gravetur ad curiam accedere ut iusiurandum interponat prout de iure.

Iustinus Senni, vic. gen.
Gabinus Maggi, actuarius.

Die 10 ianuarii 1884.

Sacramenti vindex iuramentum edit a lege praescriptum.

53. In iure sistit r.ndus d.nus Severinus di Legge defensor matrimonii ex officio, qui primum monitus de iuramento ex praescripto constit. *Dei miseratione* praestando, iurat, prout (in *n. 6,* ubi cf. *not. 9*). Deinde ill.mo et r.mo d.no iudici Iustino Senni vicario generali significat acta ad se missa ea esse ut

ipse confidere possit quaestiones Gemmae natae Genuini actrici proponendas postridie in promptu futuras; ideoque actricem in ius appellari posse quando domino iudici placuerit ex die 12 huius.

Iudex actrici diem dicit ad examen subeundum.

54. Post quae iudex Gemmam natam Genuini in iudicium vocari mandat ut examen prout de iure subeat die 15 huius mensis hora nona matutina in causa a se instituta.

Iustinus Senni, vic. gen.

Gabinus Maggi, actuarius.

Die 11 ianuarii 1884.

Citatio actrici denuntiata.

55. Iulius Lupini iuratus huius episcopalis curiae nuncius ad tribunal remittit alterum citationis Gemmae Genuini denuntiandae exemplar, cui denuntiationis expletae relationem adiicit, et proin sic iacet:

De mandato ill.mi et r.mi Iustini Senni vicarii generalis rogatur domina Gemma Serventi nata Genuini ut praesentiam sui facere non gravetur in aula sessionum huius episcopalis curiae die 15 huius hora nona matutina, examen subitura in causa a se instituta.

Datum Nennii ex episcopali curia die 10 ianuarii 1884.

Gabinus Maggi, actuarius.

Refero ego Iulius Lupini, iuratus huius curiae episcopalis nuntius me personaliter citasse Gemmam Serventi natam Genuini heri hora 3 post meridiem in domo solitae suae habitationis dimissa copia.

Iulius Lupini, nuncius.

Die 15 ianuarii 1884.

Iudiciale actricis examen.

56. Gemma Genuini praesentiam sui facit astantibus ill.mo et r.mo Iustino Senni vicario generali, Severino di Legge defensore matrimonii ex officio meque infrascripto Gabino Maggi actuario.

Tunc matrimonii defensor mihi tradidit schedam obseratam, quam continere dixit quaestiones proponendas actrici; quae a iudice monita de iuramenti gravitate, iurata est se veritatem dicere tam super articulis quam tota causa, tactis Scripturis (*cf. not. 22*).

Deinde postulante sacri foederis vindice ill.mus et r.mus iudex memoratam schedam reseravit et statim Gemma Serventi nata Genuini interrogata est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et conditio vitae? ubinam habitas? — Nuncupor Gemma Genuini, annos 24 nata sum, fruor fortunae bonis, in hac urbe vitam ago.

b) Quibus mediatoribus de matrimonio in controversiam adducto agi coeptum est? — Antonius Mestichini, Servii Serventi amicus, eius nomine primum patri meo mihique subinde hac de re locutus est.

c) Quo animo excepisti oblatas nuptias? — Eas absque ambagibus reieci. Cum enim eadem in regione familiae Genuini et Serventi rusticari solerent, Servium satis noscebam ut nec eius agendi ratio nec vitae institutum mihi arrideret. Sed pater meus coniugium ursit amplis illius opibus illectus.

d) Quibus praesidiis genitor te ad Servio nubendum adduxit? — Verberibus usus est, comminationibus atque saevitiis et fatuam me appellitare in deliciis habebat.

e) Ista perpetrata sunt inter te et parentem solum seu potius alii quoque praesentes fuerunt? — Cum genitor per fas et nefas ad nuptias me pertrahere vellet, non is erat, qui coactionibus testes adhiberet.

f) An et quibus saevitias, a patre in te adhibitas, ante connubii celebrationem manifestaveris? — Cum nemine de his agere potui, quia pater cum aliquo haec me negotia confabulari non sinebat. Una dumtaxat avia, quippe quae nobiscum cohabitabat, novit omnia; sed e vita iam migravit [39].

---

[39] Saepe contingit ut nedum litigantes, verum etiam testes asserant facta a se narrata nota fuisse alicui, qui ante tempus depositionis ad plures

g) Edissere an aviam frequens adieris seu potius unam eandemque domum ipsa tecum incoluerit. — Domus aviae et genitoris mei tam ruri quam in urbe una eademque erat. Quocirca non opus mihi erat ab aede exire ut eam viserem.

h) Nullumne ex tot factis, queis tuam a connubio forsan aversionem manifestasti, cuipiam innotuit? — Duo facta contigerunt, quorum notitia intra domesticos parietes contineri non potuit. Suicidium nempe, quod attentavi, et raptus crimen, quod in me perpetravit Servius. Primum sic evenit: parata potius voluntaria morte vitam absumere, quam Servio uxorem committi, toxicum potavi. Sed convulsionibus, quibus correpta fui, territa avia, rem genitori denuntiavit; qui ad multam noctem medicum accersivit ut curationem mihi adhiberet.

Interrogata ex officio: Qui fuit aesculapius ille et qui alii interfuerunt? — Archiater ut persensit me esse veneno infectam, pharmacum porrexit, quo facile in statum pristinae

---

migravit, putantes hac ratione corroborari dicta sua. Sed toto coelo aberrant. Cum enim vita functi ad examen adduci nequeant, eorum evocatio nullum momentum habet apud prudentes iudices. Quinimo suspecta evadit depositio, nisi aliunde scateat testium bona fides; perinde ac dicta eorum, qui testantes de auditu alieno, non eos designant a quibus acceperint, vel ita illos indicant ut excuti non possint si comparantur testibus, qui rationem reddere suae attestationis seu causam scientiae proferre recusant. Quam ad rem Leuren. *for. ecclesiast. lib. 2, quaest. 640, n. 1, cumulatis auctoribus tradit:* " Testis positive interrogatus a parte adversa de scientia sui " dicti seu testimonii, respondere debet assignando causam dictae scientiae, " ita ut, si respondere nolit aut nequeat, multo magis si negat vel falsam " aut ineptam allegat, fides ei omnino adimatur et probationem nullam " faciat. Et quidem assignare debet causam diversam a suo dicto. V. g. pro " causa sui dicti, quo testatus est, Titium mutuasse centum florenos Caio, " interrogatus, unde id sciat, dicere debet; quia vidi pecuniam ab eo numerari Caio, et dicendo: scio quia mihi constat, quod idem est ac scio, " quia scio, nihil probat „.

Pellegrin. *prax. vicar. part. 2, subs. 6, n. 17,* postquam et ipse docuerat: " Ad hoc ut testes probent, debent in eorum depositionibus assignare cau- " sam scientiae per unum ex quinque sensibus corporis - adiicit: - Quod " est valde notabile et singulare, nam pluries vidi in romana curia annul- " lari processus de partibus ob istam nullitatem causae scientiae per al- " terum ex quinque sensibus „.

valetudinis restituta sum. Eapropter salutaris artis peritus, quem ego ingruente vi morbi non agnovi, haud amplius rediit. Nec quisquam alius, quod ego sciam, adfuit.

i) Quomodo Servius assequi potuit, ut te invitam secum abduceret? — Labente mense ianuario 1881, cum essem in domo aviae audivi pulsari ostium; absentibus famulis, accurrere ego debui; tunc Servius et quatuor ignoti mihi homines me abripuerunt.

l) Qua hora raptus perpetratus est et qui in aviae aedibus manebant? — Primoribus noctis tenebris, nemo praeter aviam et fortasse meum genitorem. Hi tamen nihil perceperunt.

m) Quo et quibus praesidiis raptor te abduxit? — Ad diversorium N.; nescio tamen quibus me advexerit praesidiis, quia deliquio correpta, sensus recepi in hospitii cubiculo.

n) Quid praestitisti vix compos tui, advertisti te esse in diverticulo una cum Servio? — Ei protestata sum a natura insitum odium, et ut persensi quo loci perducta essem, fugae me committere tentavi; cum vero portam pessulo obstructam deprehendi, effluxi in uberes lacrimas.

o) Quando et quomodo raptoris manus evasisti? — Vespere insequentis diei; videns ille me convulsionibus et frigore conglaciari, ad cauponem perrexit ut fomentum afferret. Ut Servius terga vertit, in fugam me conieci; et evolavi ad aviam.

p) Quae fuit aviae et patris tui post raptum agendi ratio? — Avia, quamvis connubio adversa ante raptum se exhibuisset, postea tamen illud mihi suadebat. Genitor autem cupiebat me raptum in fugam traducere, ut citius desiderati coniugii obtineret celebrationem.

Cum in hunc locum res perducta esset, statui me includere intra septa monialium N. Quod ut parens rescivit, advenit et, igniario manu prehenso, comminatus est me perimere, nisi in Servium consentirem. Sic extorto consensu die 9 februarii 1881 Servio vincta fui.

q) An dona post sponsalia a Servio acceperis et quid illi pro his rependeris? — Inaures emicantes primum ipse mihi, deinde catenam auream ipsi tradidi. Nil amplius.

r) Si usque in finem Servio adversata es, qua ratione factum est, ut coram parocho et municipii praeside in eum consenseris? — Modo minitans, modo crines mihi vellens, ad ecclesiam et municipium tandem me adduxit pater, ubi illo praesente aspectuque minaci matrimonium respuere non sum ausa.

s) Traducta ne es ad domum viri? genio ne indulsisti? quantum temporis cohabitastis? — Non ego ad viri, sed ille ad mei parentis aedes incolendum venit; bis tantum reluctantem me compressit et octavo ab hymenaeo die opportunitatem nacta quod genitor in urbem N. ad emendum oleum profectus erat, valedixi viro et ad aviam reversa sum.

t) Quid praestitit pater post tuam a marito fugam? — Ille, quemadmodum post expletas nuptias enixe me rogavit ut hilari vultu amicoque animo prosequerer virum, ita post meum ab illo discessum omnium virium contentione adnisus est ut vita coniugalis restauraretur; sed incassum. Civile namque vinculum a laico magistratu iam cassari obtinui.

u) Faveas nobis indicare testes qui probare queant metum, quem asseris a patre tibi illatum fuisse ut te adduceret ad nubendum Servio Serventi. — Non hoc praestare possum, quia neque propinqui neque affines neque vicini neque alii facta cognoscunt a me ad Vestrum Tribunal deducta.

v) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 17 ianuarii 1884.

57. In iure sistit Servius Serventi [40] ac interrogatus est et respondit prout sequitur: Iudiciale pariter rei examen.

a) Quomodo vocaris? quae tibi aetas et vitae conditio? ubi habitas? — Appellor Servius Serventi, 27 annos natus, mercaturam exerceo, incolo urbem N. viam N. n. N.

---

[40] Supersedemus referre citationem, moderatores actorum iudicio praesentes et iuramenti praestationem, quia hisce ea quadrant, quae supra prostant in *nn. 54, 55 et 56.*

b) Quando, ubi, qua occasione Gemmae Genuini amore captus es et quos mediatores adhibuisti? — Mense octobri 1880, cum rusticarer; rus enim meum haud procul est a rure domus Genuini, bis vidi puellam, et eius amore incensus, consilium eam ducendi uxorem patri illius pandidi per Antonium Mestichini. Genitor se studio et opera mihi adfuturum ostendit. Tunc Antonius voluntatem exploravit puellae, quae perpauca respondit, ita ut ille putaret eam fuisse ab alio praeoccupatam.

c) An coniugii tractatibus perdurantibus amoris sensa per literas vel nuncios ad invicem prodidistis? — Unam aut duas literas ei dedi per Tullium N. familiae Genuini famulum; per quem etiam Gemma semel vel bis ad me scripsit; per eundem et oretenus concepta nostra quandoque communicavimus.

d) Quamobrem Gemmam a domo Aviae abduxisti et an ipsa in id consenserit? — Effroeni actus amore, veritus sum ne quis illam eriperet. Non tamen ipsa consentiens fuit. At quatuor homines conduxi, nempe Franciscum Lepori, Iulium Capri, Lucidum Pepe et Aulum Nisi; qui nocturno tempore aedes aviae ingressi, puellam extra domum ad currum transvexerunt, ubi ego manebam.

e) Ubi et quandiu tecum eam detinuisti et quomodo loco tuto reddita est? — Quatuor praedicti homines habitaculum nobis paraverant in domo sita via N., unde, 24 horis necdum exactis, Gemma, arrepta occasione momentaneae absentiae meae, evasit atque reversa est ad aviam.

f) Quomodo se gessit Gemma die matrimonii in ecclesia atque in municipio? — Videbatur victima destinata ad aram.

g) Post nuptias traductane est ad domum tuam? Coniugali genio indulsit? Quamdiu cohabitastis? — Non illa ad meam, sed ego ad domum eius lares transtuli. Nec statim nec sponte, sed altera vel tertia primum nocte et duabus subinde vicibus per decem illos dies, quibus sub eodem tecto permansimus, eam compressi semper invitam.

h) Quamobrem coniugalis vita dissociata est? — Decimo ferme post hymenaeum die, tempore matutino, me absente,

uxor ad aviam se contulit, unde postridie quam discesserat, matutinis pariter horis misit qui me certioraret se non amplius reversuram. Cum nulla nos turbasset contentio, haec vix intelligere poteram et proinde ad mea remeavi.

i) An et a quibus tentata fuit reconciliatio? — Nihil ego et propinqui ac amici mei intentatum reliquimus, at nullam prorsus pacis conciliandae viam experti sunt propinqui eius.

l) Compluries in quaestionibus tibi propositis, antequam iuberes responsiones tuas scribi prouti literis supra consignavimus, varius et haesitans te ostendisti, praesertim quoad mutuas amoris significationes, hymenaeo, veneni potioni et fugae seu raptui anteriores; ita ut quo vitares responsiones, insisteres ut iudicialibus tabulis mandaremus te plane confirmare ac tuas facere omnes responsiones a Gemma datas. Quaero modo num eam animi declarationem confirmes? — Cum certus sim Gemmam non me amaturam, imo odio me habituram, denuntio me subscribere omnibus ac mea facere omnia quae suo in examine ad iudicem ipsa detulit.

m) Scisne quid uxor tua suo in examine deposuerit? — Me latent omnia.

n) Faveas nobis indicare testes, qui evincant Gemmam Genuini tibi nupsisse invitam. — Non hoc fieri potest, quia non est qui certior factus sit de iis quae coniugium inter me et Gemmam Genuini initum concernunt.

o) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Ill.ma et R.ma Episcopalis Curia Nennien.

Catalogus testium ab actrice productorum.

58. Gemma Genuini Excelso Tribunali instat ut de vi sibi ad nubendum Servio Serventi illata interrogare non gravetur sequentes testes. Videlicet: 1. Aulum Nisi, 2. Lucidum Pepe, 3. Franciscum Lepori et 4 Iulium Capri, qui operam suam Servio ad vi rapiendam actricem locaverunt; 5. Antonium Mestichini qui ab eodem rogatus, has nuptias solicitavit; 6. demum Henricum Provenzali qui ab ipso Servio accepit

Gemmam ad sibi nubendum minime esse proclivem [41]; omnes in hac urbe degentes.

Suprascripta instantia exhibita est a iurisconulto Zenone Piatti die 20 aprilis 1884.

Gabinus Maggi, actuarius.

Die 22 aprilis 1884.

Eos iudex citari mandat.

59. Ill.mus et r.mus dominus Iustinus Senni vic. gen. mandavit recensitos testes citari eisque primos dies liberos dici iuxta petita.

Iustinus Senni, vic. gen.

Gabinus Maggi, actuarius.

Die 24 aprilis 1884.

Citatio Aulo Nisi denuntiata.

60. Iulius Lupini nuncius huius episcopalis curiae iuratus ad tribunal remisit alterum citationis, Aulo Nisi denuntiandae, exemplar, quod ab ipso Aulo subsignatum est et sic iacet:

De mandato ill.mi et r.mi Iustini Senni, vicarii generalis episcopi nennien. rogatur dominus Aulus Nisi ut praesentiam sui facere non gravetur in aula sessionum huius episcopalis curiae die 30 labentis mensis hora nona matutina,

---

[41] In libello, quo partes designant testes, exprimunt articulos super quibus singuli excutiendi sunt ut iudex dignoscere queat num facta de queis testaturi sunt, relevent nec ne; et proinde an eos admittere seu potius excludere debeat; cum ipse in mandatis habeat probationes admittere quoties prodesse valeant ad causae victoriam, S. Rot. *decis. 67, part. 14, n. 1 rec.*, et simul curare ne iudicialium tabularum moles augeatur citra necessitatem, eadem S. Rota passim. Nec sacri foederis tutor quaestiones proponendas, singulis testibus accommodare potest, nisi praenoscat articulos, super quibus quisque interrogandus est.

interrogandus super quadam causa [42] apud dictam curiam vertente.

Datum Nennii ex curia episcopali die 22 aprilis 1884.

Gabinus Maggi, actuarius.

Exemplar praesentis citationis recepi die 23 aprilis 1884.

Aulus Nisi.
(conf. not. 21).

Die 1 martii 1884.

Iudiciale examen Auli Nisi.

61. Aulus Nisi [43] interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubi habitas? — Nuncupor Aulus Nisi, 29 annos natus, mercator, moror in hac urbe.

b) Cognoscis ne Servium Serventi ac Gemmam Genuini et quaenam tibi est cum illis consuetudo? — Ambos visu cognosco. Nulla tamen mihi cum ipsis est familiaritas.

c) Renuntia nobis quidquid noscis circa facta, quae praecesserunt ac secuta sunt matrimonium inter eos initum. — Hoc

---

[42] Causam super qua testis excuti debet satius est non in ipsa citatione absque necessitate designare, ne ille, si haud vigore animi praestet ut veritatem deponere nil reformidet vel si a studio partium non omnino sit immunis, ad quaestiones, quas praevidere potest, responsiones paret aut interesse habentes praemoneat et ex condicto meditatum sermonem ad iudicem afferat. Hinc curandum est etiam ne testis praenoscat qui sint alii examinati seu examinandi et ne litigantes praesciant quos praeter a se productos testes iudex sit ad examen vocaturus.

Neque his contentus solers iudex ad ea quoque animum attendet quae D. Hadrianus *(l. c. ff. de testib.)* Vivio Varo Legato provinciae Ciliciae suggessit, dum rescripsit: " Tu magis scire potes quanta fides habenda sit testibus, qui, et cuius aestimationis sint: et qui simpliciter visi sint dicere, utrum unum eundemque meditatum sermonem attulerint; an ad ea, quae interrogaveras, ex tempore verisimilia responderint „.

[43] Omittimus ea, quae respiciunt moderatores actorum iudicio praesentes ac iuramenti praestationem, quoniam eamet referuntur supra in *n. 56.*

unum novi: ineunte anno 1881 Franciscus Lepori rogavit me ut una simul raperemus Gemmam Genuini Servio Serventi tradendam. Hinc eodem die nocturnis horis cum praefato Francisco Lepori et Iulio Capri aedem Gemmae conscendimus, pulsavimus ostium, quod ipsa puella nobis aperuit. Ex improviso eam comprehendimus et, ore eius, ab uno nostrum quem non recordor, obturato, extra domum adveximus, ubi in curru expectabant Servius et quidam Lucidus Pepe.

d) Cuius in domo Gemma versabatur, cum eam rapuistis? — Paterna in domo, ubi habitabat etiam avia puellae, sita in via Venti.

e) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 1 martii 1884.

Iudiciale examen Lucidi Pepe.

62. Lucidus Pepe [44] interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubi habitas? — Lucidus Pepe, in aetate annorum 38 constitutus, sarcinator, in hac urbe.

b) Renuntia nobis quidquid noscis circa facta, quae praecesserunt ac secuta sunt matrimonium inter Servium Serventi et Gemmam Genuini initum: — Quodam die rogatus sum a Iulio Capri, Servii quaestore, ut tueremur fugam Gemmae cum Servio. Vesperam, non recordor cuius diei, ad opus condiximus una cum praefato Iulio Capri, Francisco Lepori et Aulo Nisi. Non tamen ego sciebam vim esse adhibendam ac perpetrandum raptum.

Cum ad aedem Gemmae via Venti sitam evaserimus, offendimus in via Servium in curru; ibi ego mansi, alii duo scalas adscenderunt reversique sunt post 12 momenta temporis brachiis Gemmam trahentes, virium, motus ac sensus

---

[44] Quoad praesentem aliosque testes supersedemus referre citationes et iuramenta, quippe quibus ea quadrant quae supra prostant in *nn. 54, 55 et 56.*

facultate destitutam. Eam Servio, qui in curru, ceu dixi, sedebat, tradiderunt.

c) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 1 martii 1884.

63. Franciscus Lepori, *(cf. not. 44)* interrogatus est et respondit prout sequitur: Iudiciale examen Francisci Lepori.

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Franciscus Lepori, 49^{m} aetatis annum attigi, operarius, hac in civitate.

b) Renuntia nobis quidquid noscis circa facta, quae praecesserunt ac secuta sunt matrimonium inter Servium Serventi et Gemmam Genuini contractum. — Labente anno 1881 Servius dominus meus, mihi cum commisisset ut hominem sibi providerem cuidam expediendo negotio, attuli Aulum Nisi. Posthac tam me quam Aulum iussit manere Iulium Capri et quendam Lucidum Pepe, ut agenda statueremus. Reapse praefati duo homines advenerunt, quibus Servius iniunxit ut operam suam stata die exhiberent ad Gemmam abducendam a domo sibique in manu tradendam, qui ante aedem eius expectaturus erat.

Rem facile factu dixit, quippe quae executioni mandanda foret ad primam noctis facem, et Gemma ipsa ianuam aperire debuisset, quia famula aegrotabat. Existimans nupturientes ex condicto agere, operam meam locavi. Quocirca duobus aut tribus post hanc deliberationem diebus dicta hora petimus Gemmae domum in via Venti sitam, ante quam invenimus Servium in curru. Tunc, Lucido Pepe ibi manente, ego, Aulus Nisi et Iulius Capri scalas ascendimus et, pulsato ostio, aperuit Gemma, quam ego et Iulius Capri sustulimus et, puellae opem imploranti Iulius Capri os manu obseravit ac omnes animi defectione correptam ad Servium attulimus.

c) Neo-coniuges ubi habitarunt? — In via a S. Philippo Nerio, in domo Serventi, ubi eos saepe videbam, quippe qui familiae Serventi villicabam. Audivi autem Gemmam post aliquot dies deseruisse coniugale tectum.

d) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 1 martii 1884.

Iudiciale examen Iulii Capri.

64. Iulius Capri *(cf. not. 44)*, interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Iulius Capri, in aetate annorum 34 constitutus, publicanus, hac in urbe.

b) Cognoscis ne Servium Serventi ac Gemmam Genuini et quaenam est tibi cum illis consuetudo? — Opera mea qua exactor apud Servium mereo, Gemmam autem visu tantum cognosco.

c) Renuntia nobis quidquid noscis circa facta quae praecesserunt et secuta sunt matrimonium inter eos initum: — Mense ianuario 1881, Servius mihi mandavit quaerere aliquem ut Gemma fugam secum intuitu matrimonii exequi posset. Quapropter vespere diei dicti mensis una cum Lucido Pepe, quem ego mecum adduxeram, et Aulo Nisi ac Francisco Lepori iussus sum adscendere ad aedem Gemmae, in via Venti sitam, ubi puellam, ut ipse aiebat, solam deprehensuri eramus, quia cubicularia infirmabatur, et pater reversurus erat ad multam noctem; ac ita illam nobiscum descendentem sibi tradere in curru ante domum eius manenti. Reque vera ego, Franciscus Lepori et Aulus Nisi, Lucido Pepe apud Servium manente, scalas scandimus et, pulsato ostio, Gemma, ceu nobis dixerat Servius, fores aperuit; quam nos prehendimus et, cum clamare niteretur, os illi manu occlusi, ac detulimus ad Servium.

d) Ubinam lares fixerunt neo coniuges? — In domo Servii, in via a S. Philippo Nerio sita. Ibique ego, uti familiae quaestor, novam coniugem compluries conspexi et, mense circiter a nuptiis exacto, audivi illam a viro discessisse.

e) Quibus habitis *(cf. not. 26)* [45].

---

[45] Depositionibus quatuor praecedentium testium perlectis, sanus quisque anceps haeret an illi in depositionibus suis veritati studeant nec ne, an ex tempore ad ea, de quibus interogati sunt, verisimilia responderint seu potius meditatum sermonem attulerint. Omnis autem dubietas forsi-

Die 2 martii 1884.

65. Antonius Mestichini *(cf. not. 44)* interrogatus est et respondit prout sequitur: Iudiciale examen Antonii Mestichini.

---

tan exularet, si iudex inquisitor antequam ad principalem quaestionem, de raptu seu fuga, descenderet, testes dextere interrogasset de rebus quibusdam a raptu seu fuga remotis. Ad huiusmodi enim interrogationes illi vera responsuri fuissent; et quia non falsas, captiosas et aequivocas responsiones parare potuerant, cum haud facile praevideantur interrogationes remotae, et quia necdum perspiciunt num causae proficiat vel potius obsit falsa responsio.

a) Timere proin debent ne sibi obveniat quod contigit duobus illis sacrae scripturae senibus virginem Susannam calumniantibus. Daniel, *cap. 13, vers. 36 et seqq:* (ibi) " Dixerunt presbyteri (senes): cum deambularemus in pomario soli, ingressa est haec (Susanna) cum duabus puellis; et clausit ostia pomarii et dimisit a se puellas. Venitque adolescens qui erat absconditus et concubuit cum ea..... Cum (senes) divisi essent alter ab altero, Daniel vocavit unum de eis et dixit: Nunc ergo si vidisti eam, dic sub *qua arbore* videris eos colloquentes sibi. Qui ait: sub *schino*. Dixit autem Daniel: Recte mentitus es in caput tuum. Et amoto eo, iussit venire alium et dixit ei: Nunc ergo dic mihi, sub *qua arbore* comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub *prino*. Dixit autem ei Daniel: Recte mentitus es in caput tuum „. Ex hisce liquet interrogationes remotas perutiles esse ad irretiendos testes vel litigantes, vim veritati adhibere paratos.

b) Verum ut rogationes, de rebus sive remotis sive proximis causae prosint 1. accommodandae sunt subiectae, ut aiunt, materiae: ita ut congrua responsio directe percutiat controversiae circumstantiam, quam iudex inquisitor per responsionem ad urgentem illam interrogationem illustrari contendit; 2. ita concipiendae ut nec superflua nec multa complectantur: 3. ita inter se ordinandae ut eae praecedant, ad quas minori difficultate examinatus responsurus praevidetur; 4. demum ita dividendae ut dum ad sibi propositum rogatum ille reponit non facile suspicari subsequens valeat, ac subinde veritatem vel invitus aperiat ne sibimet contradicat. Heic iuvat audire Chartar. apud Pellegrin. *prax. vicar. part. 4, sect. 9, n. 37*, ubi ait: " interrogatoria concipienda esse clare et aperte et ut singula singulas res complectantur non plures. Et per illa, quasi per gradus iudex procedat usque ad finem, quem a principio proposuerat, cum semper dirigi et disponi debeant ad finem perveniendi eo, quo animum direxit, tanquam ad certum scopum, ad quem omnia tela iaciantur „.

c) Si praemissa callerent praestantissimi actorum praesentis causae moderatores, absque negotio cognovissent magnopere in asserti raptus quaestione interesse nitide scire an et quae cuiusque ex recitatis testibus eo

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubi habitas? — Antonius Mestichini, 53 annos natus, mercaturae incumbo, hac in urbe.

---

temporis fuerit cum Gemma eiusque familia consuetudo. Re sane vera sacramenti vindex, qui rogationes testibus faciendas concinnare debebat, ex coniugum ore didicerat raptum seu fugam obtinuisse nocturno tempore et ab reo acceperat non Servium, sed testes dumtaxat aedem Gemmae ingressos esse. Hinc non aeque facilis certe fuisset raptus, si neminem illorum puella novisset ac si quis sin minus esset ei notus. Prima namque in hypotesi illa eomet actu, quo quatuor ignotos homines aspexit, ad ultimum usque aedium angulum avolasset, replens clamore domum. Ideoque solers matrimonii defensor haud contentus fuisset adhibere cum quatuor praedictis testibus interrogationem generalem, quam in praesenti cum aliis quoque adhibuit hisce vel similibus verbis conceptam: " Cognoscis ne Servium Serventi ac Gemmam Genuini et quaenam est tibi cum illis consuetudo? „, sed eos speciali et accommodatiori interrogationis formula ursisset, v. gr. " An, quomodo, quo ex tempore et quamnam Gemma tecum habet consuetudinem? „. Nec incompletis illorum responsionibus acquievissent, at minime eos dimisissent, quin rotunda fuerit uniuscuiusque responsio.

d) Minus etiam peritos se exhibent moderatores actorum cum procedunt ad praecipuam de raptu seu fuga quaestionem, quam generalissimis his verbis concipiunt: " Renuntia nobis quidquid noscis circa facta quae praecesserunt ac secuta sunt matrimonium Servium inter et Gemmam initum „. Minus profecto generalis fuisset satis obvia interrogatio. An et quamnam operam praestitisti in conciliatione coniugii inter eos (Servium et Gemmam) iniți?

e) Praeterea non abs re fuisset unumquenque testem, postquam patratum raptum tot singularitatibus narrare miro eloquio expleverat, percontari de loco, sive atrio vel cubiculo ubi puellam prehendiderunt, quaerendo quae fuerit latitudo et altitudo atque color ianuae ac atrii sive cubiculi. Item cuius formae et coloris fuerint vestes, quibus Gemma induebatur. Hisce aliisve id genus interrogationibus ii testes obstricti forsan, si fabulam narrabant, profligati fuissent, ut memorati duo sacrae Scripturae senes. Et quoniam Servius in iudiciali examine *(n. 57-e)* affirmaverat raptam puellam advectam fuisse ad domum sitam in via N. ubi testes ipsi habitaculum paraverant, non incongruum erat saepedictos testes invitare ad describendum, ut supra, etiam habitaculum praedictum. Quatenus autem non adhuc res satis clara foret, ad examen adducendi fuissent etiam herus et familiares illius domus sive diversorii, et cavendum ut unusquisque prius, quam excuteretur, suspicari non posset causam examinis, ne sciret alios quoque esse examinandos, et sin minus non possent confabulari (cf. *not. 42*).

b) Quibus auctoribus Servius Serventi et Gemma Genuini de matrimonio inter se contrahendo agere coeperunt? — Anno 1878, cum rusticarer in pago a S. Francisco ob malam filiae valetudinem, contigit ut Servius (qui inibi villa potitur, mihi notus, quippe qui mercaturae et ipse operam navat) apud me esset, quando Gemma, quae ibi villam pariter possidet, filiam meam salutatum venit. Aliquibus post diebus Servius mihi pandidit suum in Gemmam amorem ac rogavit ut cum puellae patre agerem.

Pronis auribus Servii petitione accepta, pater filiam affatus est et paulo post mihi renuntiavit eam Servii intentioni obtrudere exceptionem; se tamen pro viribus apud eam institurum meque enixe exoravit ut domum suam peterem ac Gemmam ipse alloquerer. Quod cum praestitissem, Gemma extemplo obiecit: cur non tu Servio uxorem committis unam ex filiabus? Cui respondi: filiae meae non sunt nec vocantur Gemma Genuini. Huc rebus perductis Servio, responsionem urgenti, significavi patrem assentire et omni studio conari ut filiam haesitantem flectat. Quidquid subinde gestum est omnino me latet nec quidpiam praeter supra dicta cognosco neque cognoscere curavi.

c) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 2 martii 1884.

Iudiciale examen Henrici Provenzali.

66. Henricus Provenzali *(cf. not. 44)* interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Henricus Provenzali, 43^{m} aetatis annum ago, negotior, in hac urbe.

b) An et quibus vinculis Servio Serventi et Gemmae Genuini devinciris? — Servio consuetudine et 2 affinitatis gradu in linea collaterali devinctus sum. Gemmam cognosco; nulla tamen inter nos familiaritas est.

c) Quid nosti de matrimonii inter eos tractatu et celebratione ac neo coniugum cohabitatione? — Connubii Servium inter et Gemmam contrahendi intentione fortuito co-

gnita, ad sobrino ea de re gratulationem faciendam perrexi et ab eo accepi puellam minime proclivem esse. Iosephum Genuini Gemmae patrem percontari volui, qui respondit filiam nuptiis consentire et potestatem mihi fecit certiorandi Servium Gemmam sibi nupturam.

Posthac in civitatem N. negotiorum ergo profectus, cum redii uxor me docuit Servium et Gemmam fugam arripuisse; inde coniugio iunctos, sponsam ad domum viri traductam, ubi sueta hilaritatis specimina, ut a propinquis accepi, non exhibuit. Deinde a maritali domo egressa non amplius rediit et reditum solicitantibus respondebat se nolle diutius cum marito vivere. Nil amplius ad rem scio.

d) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 2 martii 1884.

Iudiciale examen Iosephi Serventi.

67. Ioseph Serventi *(cf. not. 44)* interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Iosephus Serventi annorum 41, mercaturam exerceo, in hac urbe.

b) Quae tibi cum Servio Serventi et Gemma Genuini vincula? — Nullo propinquitatis sed amicitiae vinculo Servio devincior; visu vero tantum cognosco Gemmam.

c) Quid nosti de matrimonii inter ipsos intentione? — Servio eiusque domui familiarissimus atque intimus, ipsum, in pagum a S. Francisco proficiscentem ad colloquendum cum Gemma, compluries comitatus sum. Et a colloquiis, rediens, impensum, quo adinvicem exardebant, mihi patefaciebat amorem. Post aliquod tempus ab Hygino Servii patre didici nupturientes arripuisse fugam. Quinque vel sex exactis a fuga diebus Servius ipse ad me venit et asserens se Gemmam adduxisse ad equitem Calvi, puellae amicum, exoravit ut ipsum exciperem. Reapse die illo noctem apud me transegit, postridie vero intercedentibus amicorum officiis reversus est ad patrem ubi permansit usque ad nuptias.

d) Scisne an et quamobrem Gemma venenum ebiberit?

— Credo [46] potionem toxici sumpsisse ut patrem induceret ad sibi consentiendam expeditam matrimonii celebrationem.

e) Quid nosti de Gemmae raptu? — Scio ex confessione etiam Servii Gemmam ultro citroque se fugae dedisse; et raptum, qui hodie obiicitur, machinam esse astructam ad connubii obtinendam cassationem.

f) Cuius opera Gemma paternam domum repetiit? — Gemma usque ad nuptias in domo permasit equitis Calvi, qui coniugii ursit celebrationem.

g) Absolutis nuptiis neo coniuges ubi et quanto temporis cohabitarunt? — Primum in villa Servii, deinde in domo eiusdem Servii intra urbem sita in via a S. Philippo Nerio, ubi septem circiter menses commorati sunt; quos ego videbam ac ferme quotidie alloquebar; quippe familiae amicus.

h) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 3 martii 1884.

Iudiciale examen Theophili Boni.

68. Theophilus Boni *(cf. not. 44)*, interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? Ubinam habitas? — Theophilus Boni; in aetate annorum 52 constitutus, sacerdos, poenitentiarii munere fungor, in hac urbe.

b) Quamnam cum Servio Serventi et Gemma Genuini habes consuetudinem? — Intercedit consalutatio.

c) Quid nosti de matrimonii inter ipsos contrahendi intentione? — Ex propria scientia teneo mutuo se amore illos prosecutos. Meis namque ipse oculis vidi vehementis benevolentiae inter ipsos manifestationes, publice etiam notas. Ex auditu vero alieno ac fama didici patrem Gemmae huiusmodi connubio adversari; et ipsam toxicum idcirco sumpsisse

---

[46] Iudex testem adducere debebat ad enucleandas rationes, quibus eius opinio innititur. " Caveat (inquit Pellegrin. *prax. vicar. part. 4, sect. 5, n. 82*) iudex admittere responsiones testium per verba ambigua, nimirum; *ita est, si bene recordor,* vel *ita* mihi *videtur esse, ni fallor,* vel *credo quod ita fuerit* et huiusmodi „.

obituram, nisi fuisset medicina cito parata. Tandem a Gemmae sobrino accepi eam aufugisse cum Servio, cui sponte nupsisse duco et ob quae ipse vidi et ob quae audivi a voce publica.

d) Vi ne Gemma rapta a Servio fuit seu sponte fugae potius consensit? — Factum fugae notorietate nosco, publica autem a fama didici Gemmam voluntarie cum Servio fugisse; ac raptum hodie in medium afferri ad fulciendam coniugii nullitatem.

e) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 3 martii 1884.

Iudiciale examen Pauli Righi.

69. Paulus Righi *(cf. not. 44)*, interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? Ubi habitas? — Paulus Righi, 69 annorum, parochi vices gero, in pago a S. Francisco.

b) Quamnam habes cum Servio Serventi et Gemma Genuini consuetudinem? — Cum ambobus magna mihi gratia est.

c) Quid nosti de matrimonii inter eos contrahendi intentione? — Vidi illos a pueritia inter se vehementer amari; et quoniam pater et propinqui connubio resistebant ob dispares mores dispariaque studia, puella, quae tertium lustrum necdum excesserat, toxico sibi mortem inferre pertentavit. Tunc genitor cognita filiae pertinacia, obiurgationibus supersedit. Eapropter praeterquam quod epistolas clandestine mutuabantur, Servius nullam praetermittebat occasionem illam nanciscendi et salutandi sive in via sive sub fenestra, non obstantibus reprehensionibus, quibus saepe saepius mordebatur a puellae patruis sive avunculis semper adversis. Et ex quo, intercedentibus amicis, pater matrimonium consensit, Servius et Gemma non quietem habebant, nisi convenirent. Hinc ego omnesque saepe videbamus illos e fenestra colloqui per horas atque horas, prius quam iuveni datum esset domum puellae ingredi. Cumque inter ambas familias subinde agitarentur quaestiones pecuniariae, quae nupturien-

tibus videbantur aeternae, illi fugam capesserunt. Hisce permoti eorum parentes festinarunt nuptias.

d) Neo coniuges ubinam habitarunt? — Primum in villa Servii, quo ego comitante presbytero N., modo vita functo, eos salutatum adivi atque compertum habui tantum esse mutuum illorum amorem ut nil posset esse coniunctius. Post aliquod tempus ad urbem reversi in aede pariter Servii cohabitarunt.

e) Quando et quamobrem dissociati sunt? — Sex circiter post menses didici uxorem viro valedixisse. Cum utroque familiaritate coniunctus, contuli quidquid in me erat industriae ad dissidentes mutuo reconciliandos. Hisce in disputationibus deprehendi mulierem discessisse, quia maritus nec comis nec facilis nec commodus se exhibebat. Et licet iste facti poenitens, esset pacem coire paratus, illa tamen omnia voluntaria oblivione conterere renuit, avia potissimum ac patruo Petro sinistre influentibus.

f) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 3 martii 1884.

70. Gaspar Micheli *(cf. not. 44)*, interrogatus est et respondit prout sequitur: Iudiciale examen Gasparis Micheli.

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? Ubi habitas? — Gaspar Micheli, 33 annorum, vivo fortunae bonis, in hac urbe.

b) Quamnam habes cum Servio Serventi et Gemma Genuini consuetudinem? — Cognosco illos, non tamen sum familiaritate coniunctus.

c) Quid nosti de matrimonii inter eos contrahendi intentione? — Domus Genuini attigua est familiae Nili cui ego sum ex familiarissimis atque intimis. Sero autem cuiusdam diei cum ad amicam domum profectus essem, vidi abesse matremfamilias et a viro accepi eam ad familiam Genuini accurrisse ut suppetias ferret Gemmae, quae toxicum ebiberat. Adhuc ibi eram quando materfamilias reversa, retulit puellam iam evomuisse venenum, et quaerenti mihi quam-

obrem eo dementiae pervenisset, respondit, quia nuptiis Servii Serventi inhiabat, quibus pater omnino adversabatur.

d) Audistine Gemmam ad eas coactam fuisse? — Nil minus. A familia Nili cognovi puellam amore Servii deperiisse, eique suapte natura nupsisse postquam repugnare cessaverant parens et consanguinei.

e) Scisne num puella rapta fuerit a Servio? — A memorata familia Nili didici puellam ex condicto cum Servio fugisse dum familiae nupturientium celebrationem coniugii procrastinabant ob quaestiones fortasse pecuniarias.

f) Ubinam neo coniuges habitarunt? — Ex his quae a saepedicta familia audivi puto neo coniuges habitasse in aede familiae Serventi.

g) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 3 martii 1884.

Iudiciale examen Francisci Pergolesi.

71. Franciscus Pergolesi *(cf. not. 44)*, interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? Ubi habitas? — Franciscus Pergolesi, sacerdos, 63 annos natus, vices parochi gero in paroecia N.

b) Quomodo cognoscis Servium Serventi et Gemmam Genuini? — Pertinent ad paroeciam in qua ego vices parochi fungor eorumque matrimonialem consensum ipse excepi.

c) Quid noscis de matrimonii Servium inter et Gemmam intentione? — Novi eos amoris officia ad invicem exhibuisse intuitu connubii. Et cum genitor ac propinqui nollent puellam nubere Servio conditione dispari, hanc veneno primum conatam esse necem sibi consciscere; deinde cum familiae coniugii differrent celebrationem, nupturientes fugae ex condicto se dedisse.

d) An post raptum seu fugam Gemma fuerit loco reddita tuto? — Raptus commentum est. Sponte sua Gemma cum Servio fugit ad domum equitis Calvi modo vita functi, qui hospitium ei praebuit usque ad diem nuptiarum quo ipsam comitatus est ad ecclesiam.

e) In actu celebrationis matrimonii, ex agendi ratione Gemmae eiusve patris aut propinquorum nilne interfuit, quod ansam praebeat ad suspicandas nuptias minus spontaneas? — Nihil intercessit huiusmodi. Quinimo hilaritas puellae ac laetitia ostendebant eam volentem atque lubentem nubere. Accedit etiam quod nec genitor nec quisquam alius ex Gemmae propinquis adfuerit.

f) Neo coniuges ubi habitarunt et quantum temporis? — Perrexerunt ad domum patris *mulieris*. Nescio quandiu cohabitaverint et quamobrem dissociati fuerint.

g) Quibus habitis *(cf. not. 26)*.

Die 19 martii 1884.

Publicatio processus.

72. Huc rebus perductis, cum defensor matrimonii nullam aliam probationem exquirendam esse declaraverit, ill.mus et r.mus Iustinus Senni vicarius generalis processum matrimonii inter Gemmam natam Genuini et Servium Serventi initi aperuit et publicavit ac pro publicato haberi voluit copiamque volentibus fieri, servatis servandis, prout de iure mandavit.

Iustinus Senni, vic. g.lis.
Severinus di Legge, defensor matr. ex officio.
Gabinus Maggi, actuarius *(cf. not. 30)*.

Excelse Tribunal

Defensio actricis.

73. Iura dominae Gemmae Genuini defensurus, paucis me expediam.

Quo causa clientis meae sit in vado, evincam oportet, eam Servio Serventi nupsisse invitam. Iam vero testis quo nemo alius de re instructior esse potest, Antonius Mestichini, qui nuptias molitus est, iureiurando affirmat se, dum Servii intentionem aperuit Iosepho Genuini, actricis patri, audivisse Gemmam Servii petitioni obtrudere exceptionem. Cum puellam ipsam subinde allocutus fuisset, Gemma ei extemplo

obiecit: " cur non tu Servio uxorem committis unam ex filiabus? „ *n. 65-b.*

Henricus Provenzali, Servio 2° affinitatis in lin. coll. gradu coniunctus, auctor est: " Connubii Servium inter et Gemmam contrahendi intentione fortuito cognita, ad sobrino ea de re gratulationem faciendam perrexi et ab eo accepi puellam nuptiis minime proclivem esse „ *n. 67.*

Duo deinde contigerunt eloquentissima facta. Puella, scilicet, veneno sibi necem inferre conata est et a Servio rapta. Neque audiendi sunt adversi testes, dum occentant effroenem actricis in Servium amorem atque patris repugnantiam ob idque Gemmam suicidium attentasse et demum ultro citroque fugisse cum Servio. Praeterquam quod enim visio contraria veri absimilis est, admitti nequit, quin periurii nota inurantur quatuor illi testes, qui uno velut ore immane raptum ex scientia propria testantur *nn. 61, 62, 63 et 64.* Deinde, vulgatissimum est fori adagium: " Magis creditur duobus testibus de metu quam mille de spontanea voluntate deponentibus „ *(Vide infra not. 52).*

Fastigium imponit regina probationum, rei confessio. Siquidem Servius iurisiurandi sanctitate obstrictus iudici defert: " Effroeni actus amore veritus sum ne quis illam (Gemmam) raperet, a domo aviae abduxi. Non tamen ipsa consentiens fuit. At quatuor homines conduxi, nempe Franciscum Lepori, Iulium Capri, Lucidum Pepe et Aulum Nisi, qui nocturno tempore aedem aviae ingressi, puellam extra domum ad currum advexerunt, ubi ego manebam „ *n. 57-d.*

Datum Nennii die 8 aprilis 1884.

Zeno Piatti, adv.

Excelse Tribunal

Animadversiones defensoris matrimonii ex officio.

74. Non multa scripsit eximius Gemmae Marmori natae Genuini patronus; et ego brevis ero; ille, quia non praesto sibi sunt argumenta; ego, quia facta, quae matrimonii demonstrant valorem, expositione non egent.

Profecto quinque testes, qui pro sacro foedere testimonium dicunt, ea facta referunt, quibus nedum asserta coactio excluditur, verum etiam ob oculos ponitur vehemens amor, quo Gemma Genuini Servio Serventi denupsit, praesertim sub *nn. 67-c, 68-c, 69-c, 70-c et 71-c.*

Iam vero ex quinque supradictis testibus, matrimonio suffragantibus, tres sunt sacerdotali charactere insigniti, *nn. 68, 69 et 71.* Nostris vero potissimum temporibus, quibus languescit fides et laici legum latores inficiantur indissolubile connubii vinculum, concorde trium sacerdotum testimonium, cum agitur de ecclesiasticis publica aestimatione ornatis ac de factis, in quibus nec facile decipi possunt nec speciale decipiendi interesse habent, praeterquam quod apodicticum est, praepollet saecularium etiam testium phalangi.

Fere otiosum est advertere, 4 illos testes, qui fugam Gemmae in raptum traducunt, bona fortasse etiam fide id praestare. Nil enim prohibet quominus puella oppositionem et deliquium coram illis simulaverit. Servii vero confessio potius quam probationum reginam collusionem apertissimam redolet, cum ipse duo simul *n. 57-l-m,* profiteatur, nempe 1° se ignorare prorsus quid actrix deposuerit, 2° sua facere ac rata habere omnia, quae uxor iudici detulit. Per quod luculentissime ostendit nullam sibi esse de veritate sollicitudinem.

Datum Nennii 23 aprilis 1884.

Severinus di Legge, defensor matr. ex officio.

Citationes coniugum ad audiendam sententiam ut in numeris 43 et 44.

Die 8 maii 1884.

75. In causa nullitatis matrimonii inter Gemmam natam Genuini actricem et Servium Serventi reum vertente; Legitur et publicatur sententia.

Viso libello, in quo Gemma demonstrare obnititur se Servio Serventi nupsisse vi metuve a Iosepho Genuini patre coactam;

Viso testimonio rectoris paroeciae a S. Thoma huius dioecesis, super matrimonio inter actricem et reum die 9 februarii 1881 contracto;

Visis literis, queis praefatus parochus nos certiorat nullam superesse mutuae coniugum reconciliationis spem;

Auditis actrice et reo necnon testibus ab ea prolatis;

Considerantes facta ab his narrata non ea esse quae metum filiae a patre intuitu connubii illatum concludenter probent;

Perpendentes facta, quibus vehementem amorem nupturientes mutuo manifestabant, a testibus ex officio productis relata;

Ponderantes nedum characterem sacerdotalem, verum etiam ecclesiastica munia, queis ornantur tres ex hisce testibus;

Praemissis aliisque visis ac consideratis de iure considerandis, nos Iustinus Senni vicarius generalis episcopi nennien., solum Deum prae oculis habentes, dicimus, declaramus et pronunciamus non constare de nullitate matrimonii inter Gemmam natam Genuini et Servium Serventi die 9 februarii 1881 in parochia sancti Thomae huius dioeceseos contracti. Ita hoc et omni meliori modo.

Lata, lecta et publicata fuit die 8 maii 1884 in civitate Nennii.

Iustinus Senni, vicarius generalis.

Gabinus Maggi, actuarius.

Actrix appellat.

76. In continenti Zeno Piatti, Gemmae procurator, a suprascripta sententia appellavit.

Gabinus Maggi, actuarius.

SPECIMEN QUARTUM

ARGUMENTUM.

Gemma Genuini in appellationis causa novem testes producit et consequitur revocari sententiam, qua in prima instantia pronuntiatum fuerat non constare de matrimonii nullitate, quam ipsa obiiciebat ex capite *vis et metus*. Sacra tamen Concilii Congregatio ab appellationis iudice editam infirmavit.

Ill.ma et R.ma Episcopalis Curia (cf. *not. 1*) *Memmien.*

Libellus appellationis.

77. Gemma Genuini, in urbe Nennii, via " Fiamma „ n. 29, in paroecia sancti Thomae sedem habens (cf. *not. 2*) ad Excelsum Vestrum Tribunal deducit quae sequuntur:

Supplici libello die 2 ianuarii 1884 per exponentem ill.mae et r.mae episcopali curiae nennien. porrecto postulavit ut matrimonium a se, cogente patre, die 9 februarii 1881 cum Servio Serventi contractum, irritum renuntiaretur ex capite vis et metus. At iudex ille die 20 decembris memorati anni 1884 edixit non constare de nullitate sacri foederis in controversiam adducti *(alleg. unic.)*.

Ad Amplissimum Vestrum Magistratum oratrix provocat et bona spes nobis est, eam sententiam revocatum iri, potissimum si sequentes testes, scilicet, 1. Caietanum Cagli, in urbe Nennii, via N., n. N.; 2. Laurentium Centi, ibid., via N., n. N.; 3. Antonium Mestichini, ib., via N., n. N.; 4. Nicolaum Cagli, ib., via N., n. N.; 5. Victoriam Zeri, ib., via N., n. N.; 6. Hyginum Genuini, ib., via N., n. N.; 7. Henricum Provenzali, ib., via N., n. N.; 8. Isidorum Tomba, ib., via N., n. N.; 9. Aloisiam Trincia, ib., via N., n. N. commorantes, iudiciali examine excutere vobis placuerit, prout enixe obtestamur atque obsecramus. Hoc et omni meliori modo (cf. *not. 4*).

Zeno Piatti, adv.

Die 2 ianuarii 1885.

Praefati libelli oblatio.

78. Suprascriptus appellationis libellus exhibitus est ab advocato Zenone Piatti una cum exemplari actuum in episcopali curia nennien. expletorum authentico ; quippe quod secum fert in calce: " Suprascriptum exemplar, foliis 30 constans, cum actis originalibus concordare testor.

Dat. Nennii ex curia episcopali die 30 decembris 1884.

Gabinus Maggi, actuarius „.

L. S.

Georgius Fini, actuarius.

Die 5 ianuarii 1885.

Iudex ad matrimonii defensorem ex officio acta causae transmittit.

79. Ill.mus et r.mus dominus Tullius Negri vicarius generalis dioecesis memmien. decrevit: Transmittantur libellus appellationis et acta ad admodum r.ndum Flavium Socci, matrimonii defensorem ex officio, qui illis perpensis non gravetur ad curiam accedere ac iusiurandum concipere a iure praescriptum.

Tullius Negri, vic. gen.

Georgius Fini, actuarius.

Die 7 ianuarii 1885.

Sacramenti vindex praestat iuramentum a lege praescriptum.

80. Apud iudicem sistit r.ndus Flavius Socci, defensor matrimonii ex officio, qui primum sacramento dicit, prout *(in n. 6)*.

Deinde ill.mo et r.mo Tullio Negri vic. gen. significat acta ad se missa ea esse ut ipse confidere possit quaestiones testibus Caietano Cagli, Laurentio Centi et Antonio Mestichini proponendas postridie in promptu futuras.

Iudex citari mandat testes ab appellante inductos.

81. Post quae ill.mus et r.mus vicarius generalis recensitos testes, Caietanum Cagli, Laurentium Centi et Antonium Mestichini citari mandat eisque dici diem 12 huius mensis hora nona matutina; reliquis vero, nempe Nicolao Cagli, Vi-

ctoriae Zeri, Hygino Genuini, Henrico Provenzali, Isidoro Tomba et Aloisiae Trincia subsequentes liberos dies, iuxta petita [47].

Tullius Negri, vic. gen.

Georgius Fini, actuarius.

Citationes susprascriptorum testium sunt, mutandis mutatis, ut in n. 60.

---

[47] Multiplici ex capite carpi potest recitatum iudicis decretum. Praeterquam quod enim non expressi sunt articuli super quibus singuli testes excuti debeant (cf. *not. 41*), Clemens V in *caput 2 de testib.* sancit: "*Testibus rite receptis et eorum attestationibus publicatis, sicut non licet super eisdem vel directe contrariis articulis alios vel eosdem testes in principali causa producere, sic non debet in appellationis causa licere; cum non minus in appellationibus quam in principali causa subornatio sit timenda* „.

a) Neque vicarii generalis Tullii Negri decreto accommodari posse videtur responsum Innocentii tertii in *cap. 35 de test. et attestat.* (ibi): " *Quia igitur dubitatis, utrum post publicationem attestationum super illo articulo deberent testes admitti, nos inquisitioni vestrae auctoritate praesentium respondemus, testes mulieris ad probandum illum articulum admittendos* „.

b) Re namque vera, dum lex Clementina est generalis, innocentianum responsum singulare est: respicit nempe articulum, quo mulier M. probare contendebat R. militem, quocum illa matrimonium inierat, tempore nuptiarum et ante fuisse semper in eboracen. provincia commoratum; et proin a veritate esse alienum quod testes R. militis asseverabant, nempe illum *longe extra dictam provinciam aliam, tum viventem,* eo tempore, *duxisse in uxorem.*

c) Quocirca, auditione novorum testium haud concessa, sententia adversus matrimonium proditura erat, fortasse erronea. Iam vero erronea sententia, si ad tramites iuris lata sit, quamvis faciat, ut aiunt forenses, *album de nigro,* quando agitur de iuribus, quae a litigantibus remitti possunt et proin etiam debent ob bonum publicum; contra in causa R. militis et M. mulieris servari non poterat absque peccato. Certe gravi labe coniuges ambo se polluissent, si subinde convolassent ad alias nuptias, scientes eam sententiam esse erroneam. Divina namque lex clamat: " Quod Deus coniunxit homo non separet. „ Hinc Barbos. *collect. doctor. in cap. 26 de testib. et attestat., n. 5* docet: " Propter materiam peccati, et ita propter vitium irremissibile, quod in illa reperitur non inconvenit ut post publicationem testium et etiam post sententiam testes recipiantur „.

d) Verum in Servii Serventi et Gemmae Genuini ac R. militis et M. mulieris causis eademne sub hoc respectu est materia? Non videtur. Nam

Die 14 ianuarii 1885.

Iudiciale examen Caietani Cagli.

82. Caietanus Cagli (cf. *not. 43*) interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Caietanus Cagli, vivo fortunae bonis, in civitate N., quadragesimum secundum aetatis annum attigi.

---

in controversia R. militis et M. mulieris nullo partium consensu remitti potuisset vitium sententiae, irritum declarantis per errorem, connubium. Sacrum autem foedus Servium inter et Gemmam initum, si sententia quantumvis erronea renuntiatum fuisset validum, eo tamen ipso quod partes sententiae acquiescerent, iuris robur accepturum erat.

e) Reque vera quibus in casibus sententia definitiva nunquam transit in rem iudicatam, in iisdem et ob eandem rationem auditio testium non denegatur postquam conclusum est in causa et etiam post sententiam definitivam. Iam vero Sanchez, eam quaestionem accurate enucleans, *lib. 7, disput. 1000, n. 13* docet: " Intellige non transire in rem iudicatam, quando ex illius sententiae observantia nutritur peccatum nec consensu partis utriusque potest cessare culpa. Ut si lata sit contra legitimum matrimonium, declarans id esse irritum aut in favorem matrimonii cum impedimento dirimenti initi. At transit in rem iudicatam, quando consensu utriusque potest cessare culpa et matrimonium constare. Ut si litigetur an aliquod fuerit legitimum matrimonium allegante altero metum vel conditionem servitutis alterius coniugis a se ignoratam, succubuit hic et sententia pronuntiatum est valuisse matrimonium, si non appellavit legitimo tempore transit in rem iudicatam, ita ut amplius ob eam rationem retractari nequeat. Quia ex observatione illius sententiae nulla consurgit culpa; possunt enim partes denuo consentire et compellentur non desistere. Et est praesumptio iuris ac de iure, adversus quam nulla admittitur probatio, consensum novum praestitum esse ab ipso per sententiam victo, qui appellationem omisit „.

f) Quod si obiicias sententiam Sanchez in locis ubi viget *Concil. Trid. sess. 24, cap. 1, de ref. matrim.* admitti non posse, quia per occultam hanc vel praesumptam consensus renovationem non publice constaret de veris nuptiis, respondeo constare de legitimo coniugio, eo ipso quo constat de re iudicata in favorem matrimonii. Nec effugiat nullum ex decretalium capitibus, quorum vigore vel testes recipiuntur post publicationem attestationum vel post rem iudicatam in disputationem revocatur causa, agit, quod ego sciam, de casibus, in quibus erronea sententia servari posset absque peccato etiamsi partes sententiae acquiescerent. Quo igitur iure exceptio a generali lege, hisce capitibus sancita propter materiam peccati et ita

b) Quae tibi vincula cum Servio Serventi et Gemma Genuini? — Sobrinus sum Gemmae, quia mater illius soror erat socero meo et uxoris meae mater soror erat Gemmae patri.

c) Quid noscis de matrimonii Servium inter et Gemmam intentione? — Ob praenarratam propinquitatem multus eram in domo Gemmae, ubi degebat etiam avia, dum pater

---

propter vitium irremissibile quod in illa reperitur, ad casus extenditur in quibus vitium si in sententiam irrepserit, remitti posset expresso vel tacito litigantium consensu?

g) Praestat audire Leurenium, dum ita perstringit quaestiones de nova testium auditione ac de re iudicata, *for. eccles. lib. 2, quaest. 664, n. 1* (ibi): " In causis matrimonialibus ob periculum animarum, nimirum ne coniuges legitime copulati separentur, etiam post attestationes priores publicatas recipiuntur testes deponentes directe contrarium super articulis prioribus, non obstante in contrarium consuetudine, utpote contraria iuri naturali ac divino, *c. series, h. t., c. ex tenore, c. cum in tua eod.,* si enim sententia contra matrimonium contractum lata nunquam transit in rem iudicatam, sed quocunque tempore revocatur, probata falsitate, *c. lator, c. tenor, c. consanguinei, de re iudic. c. secus, de desponsat. impuber.* multo minus impedietur quis, publicatis attestationibus alios testes super iisdem articulis aut directe contrariis producere, et *ubicunque vitium a partibus non potest remitti, nec confirmari illud tacite vel expresse, in quo subest peccatum* et quod iure divino prohibitum, publicatio testium vel sententia non obstat „.

Clarius etiam idem Leuren. *cit. op. lib. 2, quaest. 968, n. 1;* ibi " Ubi in ipsis causis (concernentibus valorem matrimonii) lata sententia observari potest, quin peccetur, seu nutriatur peccatum, ea transire potest in iudicatum..... Sic etiam, dum, qui obtendit metum vel ignorantiam conditionis servilis, condemnatus nihilominus fuit, et pronunciatum pro valore matrimonii, non appellat intra legitimum tempus, haec sententia transit in iudicatum, ita ut amplius ex ea causa retractari nequeat; quia iam ex observantia illius non nutritur peccatum, dum pars metum passa consentit de novo in matrimonium; qui consensus ex ipsa non appellatione, quam facere potuit ac debuit, ubi consentire noluit, praesumitur praesumptione iuris et de iure, contra quam nulla admittitur probatio. Glos. *fin. in* c. *lator,* Abbas *ibid. n. 9,* Alex. *n. 7,* Covar. *cit.* § *12, n. 17,* Pirh., Castrop. loc. cit. „.

h) Alia quoque ex parte claudicat saepedictum Tullii Negri vicarii generalis decretum. Videlicet, quando de testibus post didicita testificata recipiendis agitur, lynceis oculis iudex investigare habet an ille, qui novam testium auditionem solicitat, in iustitia causae seu potius in subornatione

aedem aliam incolebat. Memorata avia compluries mecum querebatur, quia Ioseph filiam Gemmam adigebat ad nubendum Servio, educatione dispari ; a quo ista abhorrebat.

Contigit etiam ut me praesente avia filium Iosephum supplicibus verbis oraret ne diutius filiam ad invisum connubium compelleret. Haec audiens filius, furore incensus est, et manu percussa mensa, inquit : semel dixi pro semper, fidem dedi et ideo matrimonium obtinebit ; ac arrepto galero discessit efferatus.

d) An et a quibus violentias audieris, quas ille filiae ad hoc inferebat ? — Supervacaneum est id percontari. Omnes dies filia tota in eo erat ut quereretur de patris agendi ratione.

e) Nosti quaenam essent violentiae ? — Cum non ego eadem in domo habitarem, non id cognosco [48].

---

confidat. Ideoque inquiret praesertim num testes producere antea nequiverit vel dolose et malitiose omiserit num testes adeo probatae fidei existant ut omnem subornationis suspicionem in subiecta potissimum materia effugiant. Deinde circumspectiones adhibebit ad praepediendam vel detegendam subornationem. Quae quidem circumspectiones eo accuratiores sint oportet, quo gravius est subornationis periculum. Cf. Leuren. *op. cit. lib. 2, quaest. 617, n. 2, et quaest. 664, n. 1.*

In praesenti autem iudex ob oculos praeter alia habere debuisset responsiones a Gemma in prima iudicii sede datas ad sequentes quaestiones: " Habes ne qui huiusmodi facta (verbera etc.) testentur? — Minime gentium. Longe namque aberat ut genitor testes aut arbitros adhiberet, cum per fas et nefas vellet me ad nubendum Servio pertrahere. An et quibus praedictas minas, vexationes et verbera manifestasti ante matrimonii celebrationem ? — Cum nemine de his agere potui, quia pater cum aliquo haec me negotia confabulari non sinebat *(n. 56-e et f)* ".

[48] In superiori *not. 47-h* dixi accuratissimam diligentiam, quando testes recipiuntur post didicita testificata, conferendam esse ad praepediendam et ad deprehendendam subornationem. Non video quid in hac inquisitione moderatores actorum praestiterint ad subornationem impediendam, at liquet eos tanta oscitantia explevisse acta, quanta ne in ipsis quidem causis tolerari facile potest, in quibus bona fide abundare licet.

Certe ad illaqueandos testes praeoccupatos necessum est primum perstringere illos subtilibus, etsi a controversiae cardine remotis interrogationibus (cf. *not. 45*). At moderatores praesentium actorum, ut legenti examina praecedentium testium insilit in oculos, a quacunque solicitudine

f) Quid scis de veneno a Gemma hausto? — Paucos dies post illum, quem supra retuli, dialogum inter aviam et Gemmae parentem, ad me venit familiae Genuini famulus roga-

---

accommodandi subiectae materiae et diversis testibus rogationes soluti, indistincte illos communibus ac generalissimis quaestionibus obiter percontantur. Exempli ergo controversiae cardinem complectuntur hoc ferme rogato: Quid noscis de matrimonii Servium inter et Gemmam contrahendi intentione?

b) Deinde testes attenta mente adigendi sunt ad explendas depositionum, ut ita dicam, lacunas. Scilicet ad proferendam scientiae causam (cf. *not. 45*) et ad enucleandas singulas factorum nedum intrinsecas, verum etiam circumstantias extrinsecas: v. gr. anni, mensis, diei, horae, quibus facta contigerunt, ac aliorum testium, qui factis interfuerint (cf. *not. 29*). Testes enim subornati raro contingit ut rationem suae attestationis reddere aut aliquam factorum circumstantiam referre omittant per incogitantiam aut ex oblivione, at saepe saepius praetermittunt, quia interesse habentes vel leguleii, qui schemata depositionum concinnarunt, eas singularitates non cogitarunt aut satius duxerunt illas testibus non suggerere. Eapropter, cum a iudice inquisitore provocantur ad replendas dictas lacunas, si ad iudicem detulerunt meditatum sermonem, vel ex silentio, ad quod nonnunquam confugiunt, vel ex diverso stylo, quo utuntur dum respondent ad insperatas rogationes, vel ex contradictionibus, quibus alter cum altero aut cum novis, quos fortasse indicant, testibus pugnant, indicia subornationis ut plurimum erumpunt.

c) Attamen, dum ista peragunt, moderatores actorum curent, meliori quo fieri potest modo, ne ansam praebeant excussis testibus ad suspicandum illos etiam, a se memoratos, ad examen adductum iri. Cordatus nam quisque videt quam necessariae hisce in casibus sint circumspectiones illae, de quibus actum est in *not. 42 et 45.*

d) Testes praesenti in specimine examinati, dum immodica loquacitate augent iusto nimis iudicialium tabularum molem, multa silentio praetereunt scitu necessaria. Rem explanabo duobus exemplis, quorum in altero lacuna non expletur, in altero autem iudex accommodata interrogatione testem ad id adducit.

e) Sub *n. 84-e* Caietanus Cagli sciscitatus: "Quid noscis de matrimonii Servium inter et Gemmam contrahendi intentione? respondit: Ob praenarratam propinquitatem multus eram in domo Gemmae, ubi degebat etiam huius avia, pater autem aedem aliam incolebat. Memorata avia compluries mecum querebatur quia Ioseph Gemmam filiam adigebat ad nubendum Servio, a quo ista abhorrebat ob disparitatem educationis.

Contigit quoque ut me praesente avia Ioseph filium supplicibus verbis exoraret ne diutius filiam ad abominatum connubium compelleret. Haec

tum ut accurrerem, quia Gemma venenum ebiberat. Cucurri et, cum in aviam incidissem, dixi: vides effecta sermonis illius diei? Tunc vocatus est pharmacopola N., quo antidotum praebente, Gemma toxicum evomuit.

g) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

---

audiens filius furore incensus est, et, manu percussa mensa, inquit: semel dixi pro semper, fidem dedi et ideo matrimonium obtinebit; ac, arrepto galero, discessit efferatus „.

f) Speciosa hac audita narratione, solertem iudicem decebat solicitum esse de contestibus. Vulgatissimum namque est forense axioma: unus testis, nullus testis. Et proin supplevisset hoc fere modo: An et qui facto huic interfuerint vel illud alia aliqua ratione cognoverint? Si alios enim indicasset, audiendi fuissent. Quod si respondisset, prout contingere solet, factum nemini alii innotuisse, testimonium Caietani Cagli fere nullius momenti esset, imo et suspectum, quippe quod innititur tantum in Gemmae avia et patre, qui interrogari non poterant, quia iam e vita excesserant, quando testis haec ad iudicem detulit.

Ibidem Interrogatione — *a*) idem iudex ab eodem Caietano quaerit: " An et a quibus violentias audieris, quas ille filiae ad hoc inferebat?„ et testis reponit: " Supervacaneum est id percontari. Omnes dies filia tota in eo erat ut quereretur de patris agendi ratione „. Hac tamen vice iudex minime dormitavit, sed ursit.

" Nosti quaenam essent violentiae? „ Caietanus ad haec: " cum non ego eadem in domo habitarem, non id cognosco „.

Vides? Postrema hac responsione Caietanus depositioni suae adimit omnem vim, quam comparaverat, ascribendo in quaestione *e*) Gemmae aviae et patri factum quod ille fortasse comminiscitur impune, cum agatur de mortuis, qui se defendere nequeunt; et in quaestione *f*) ab interrogatione aberrando ac abutendo generalibus verbis. Reque vera, si testis, ut ipse ait, *ob propinquitatem multus erat in domo Gemmae..... omnes dies filia* (Gemma) *tota in eo erat ut quereretur de patris agendi ratione,* non ipsum latere poterant praetensae violentiae, quatenus in rerum natura extitissent.

g) Quod testi Cagli evenit, omnibus forsan etiam aliis, ceu suo quisque ingenio facile percipit subsequentes depositiones perlegens, plus minusve eventurum erat, si actorum moderatores accommodatis rogationibus singulos perstrinxissent atque solicita cura adduxissent ad nitide explicandas responsiones involutas, prouti factum est ultimo rogato, et ad explendas lacunas prout facere debuissent in responsione ad quaestionem *e*) quemadmodum advertimus in praesenti *not.-f.* At nihil eorum ordinarie praestitum est, nec praestari facile potuisset, quia sacramenti vindex, cum

Die 14 ianuarii 1885.

Item Laurentii Centi.

83. Laurentius Centi (cf. *not. 43*) interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Appellor Laurentius Centi, in aetate annorum 70 constitutus sum, fundos possideo, lares habeo in urbe N.

b) Quae tibi vincula sunt cum Servio Serventi et Gemma Genuini? — Cum marchionis Noli, cuius uxor est Gemmae amita, negotia geram, tam Servium quam Gemmam amicitia complector.

c) Quid noscis de matrimonii illum inter et istam tractatibus? — Nocte quadam, cum essem apud memoratum marchionem Noli, vir quidam a Gemmae avia missus, advenit, marchionem rogans ut accurreret, quia Gemma se toxico infecerat. Quo audito marchio et marchionissa clamarunt: en consectaria violentiae qua Ioseph Genuini filiam compellere nititur ad nubendum Servio Serventi. Ictu oculi ad attiguam aviae aedem convolavimus, et marchio ut Gemmae patrem vidit, vehementer reprehendit; qui obiiciebat rem esse de Gemmae simulatione ne Servio uxor committatur. Interea temporis accitus pharmacopola N., antidotum propinavit, quod cum potasset, venenum evomuit. Ego ibi permansi donec periculum propulsatum fuit.

Nocte illa marchio occasionem ursit dehortandi Iosephum Genuini a proposito nuptum dandi Gemmam ad Servium; et Ioseph respondebat: genitor ego sum, ego filiae commoda provehere habeo. Servius dives est, et ideo Gemma illum ducere debet. Ceterum fidem meam obstrinxi et coniugium obtinebit quamvis filia animam exhalet. Avia acerbe flebat precibusque cum marchione agebat quam diligentissimis ut Iosephum ab improbo consilio deterreret.

d) Quae sunt violentiae, quibus parens obnitebatur cogere

---

interrogatoria concinnavit, ignorabat, quemadmodum in principio superioris annotationis observavimus, articulos, super quibus singuli testes excutiendi erant (cf. *not. 41*).

Gemmam ad connubium et quomodo tu eas cognoscis? — Avia vehementer querebatur mecum de modo ferino, quo ille utebatur ut filiam compelleret ad Servium sibi matrimonio iungendum; et Gemma mihi dicebat se haud posse diutius eius sustinere saevitias. Ego autem cognosco misellam fuisse verberatam, inclusam ac omni prorsus libertate destitutam.

e) Quid scis de raptu Gemmae? — Raptus iudicio meo perpetratus est communi consensu a Servio Serventi cum Iosepho Genuini, invita Gemma.

f) Insinuatum ne Gemmae fuit ut in celebratione matrimonii tranquilla se exhiberet?[49] — Iosephus apud matrem egit ut Gemmae suaderet hilarem se exhibere.

g) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

---

[49] Cordatus quisque videt quantum haec interrogatio sit abnormis. Profecto sacerdos, qui, matrimonialem Gemmae consensum excepit, testatus est illam in matrimonii celebratione festivam hilaremque se exhibuisse *(n. 71-e)*. Hinc poterat quidem iudex generice quaerere " an hilaritatis vel tristitiae in coniugii celebratione signa praebuerit „; non tamen an ei insinuatum fuerit ut hilaritatem simularet. " Nam postrema rogatio ut ait Ulpianus in *l. 1, § Qui quaestionem, ff. de quaest.* " magis suggerentis quam requirentis est „: quippe quae supponens illa hilaritatis indicia, quae ceteroquin probanda erant, extitisse, testi suggerit responsionem, quae assertae hilaritatis signis omnem vim adimat: imo supponit etiam puellam nupsisse invitam, dum hoc id est de quo in praesenti controversia quaeritur.

Operae pretium est audire Leuren. *for. ecclesiast. lib. 2, quaest. 651:* (ibi) " Interrogatoria suggestiva quae dicantur et num sint licita? Respondeo ad primum: quae fiunt de aliquibus in specie, seu exprimendo speciales personas, circumstantias et qualitates causae civilis aut criminalis, et sic quasi suggerendo, quid respondere debent. V. gr. dum interrogatur quis, num Titius occiderit Caium, tali die, tali loco, confodiendo illum gladio in pectore etc. Estque talis interrogatoria suggestio, alia aperta, dum ea ipsa interrogatio patet, ut in allato exemplo. Alia palliata, dum interrogans veluti praevenit testem in respondendo, indicando illi subtiliter modum respondendi, vel si reus ipse interrogetur, modum sua responsione evadendi. Respondeo ad secundum: istiusmodi interrogatoria sunt in iure prohibita, ut constat ex *l. 1, § Qui quaestionem, ff. de quaest.* Idque, ne testes facile assentiendo hac ratione suggestis deponant falsa et ab ipsis antea ne quidem cogitata, dum potius assentiunt suggerenti, ne forte ei displiceant, quam ex proprio respondeant interroganti „.

Die 14 ianuarii 1885.

84. Antonius Mestichini (cf. *not. 43*) interrogatus est et respondit prout sequitur: Antonii Mestichini.

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? Ubinam habitas? — Antonius Mestichini, 54 annorum, mercatorem ago, in hac urbe.

b) Quae tibi cum Servio Serventi et Gemma Genuini vincula? — Cum ambobus sum familiaritate coniunctus.

c) Quibus auctoribus illi de matrimonio inter se contrahendo agere coeperunt? — Ego a Servio rogatus, cum Iosepho Genuini, Gemmae patre, primum hac de re locutus sum. Ille fautorem se praebuit et pollicitus est se studio et opera apud filiam adfuturum. Deinde mihi significavit filiam absque ambagibus connubio adversari; iussit tamen id Servio celari, donec ipse puellam ad consentiendum adduceret.

Paucis post diebus, invitatus, eum vidi; qui arcessitam puellam, me praesente, rudibus modis flectere perperam conatus est. Et cum illam persuadere et ipse obniterer, valde irritata, respondit: nuptum da ei filiam tuam. Tum patri dixi nos laborare incassum. Ille ad haec: ne dubites, puella coacta denubet; interim nil Servio referas. Tandem mihi denuntiavit se assecutum, quod optabat, violentiis et saevitiis prouti didici etiam a colonis et domesticis. Post haec Gemma in morbum incidit.

d) Scisne an aegrotationis causa fuerint violentiae patris? — Utique morbi causa fuerunt violentiae, quibus genitor eam pertraxit ad consentiendum in matrimonium. Rumor etiam fuit mortem obiisse. Dein dictum est venenum potasse.

e) Quid scis de raptu? — Vox omnium fuit Gemmam vi raptam a Servio, consentiente Iosepho Genuini.

f) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 16 ianuarii 1885.

Nicolai Cagli. 85. Nicolaus Cagli (cf. *not. 43*) interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas? [50] ubinam habitas? — Nicolaus Cagli, 48 annos natus, habito in urbe N.

b) Quae tibi cum familiis Servii Serventi et Gemmae Genuini vincula? — Nec propinquitate nec amicitia cum his coniungor.

c) Quid scis de matrimonii inter memoratos Servium et Gemmam intentione? — Cum familiam Genuini qua vicinus amicitia complecterer, Iosephum Gemmae parentem aliquando affatus, de connubio in controversiam adducto percontatus sum, et adverti favere patrem, filiam vero repugnare; meque patri, coniugii emolumenta amplificanti, adhaerentem, abscisse reiecit. Quamobrem ille sonoram alapam ei impegit, et obstrepens inquit: nisi Servio denubat mori compellam. Domum reversus, sorori rem retuli. Mea vero soror, iam vita functa, (cf. *not. 39*) me certiorata est puellam longo ex tempore vim atque saevitias a patre pati seque conspexisse livedines in brachio et humero illius verberibus peractas.

d) Nostine Gemmam raptam fuisse? — Vox omnium est illam a Servio vi abductam. Sed cum inde Iosephum Genuini de eo interrogassem, ille vultu hilari respondit: res sunt quae contingere solent.

e) Quae alia cognoscis facta matrimonium praecedentia aut subsequentia? — Notum mihi est Gemmam ante coniugium veneno se ipsam interimere conatam esse. Qua re cognita, soror mea, summo mane ad Gemmam volavit; quae, violentias patris ac saevitias alludens, inquit: melius est

---

[50] De conditione, officio et vitae instituto percontari testem omissum est, quamvis id semper in more fuit, quia non eadem testibus diversorum coetuum, ceteris paribus, fides adiicitur. Nostris vero temporibus in matrimoniorum causis testes extra ecclesiasticorum gremium non sine circumspectione audiendi sunt. Nam indissolubile sacri foederis vinculum a ludimagistris ac legumlatoribus laicis in dubium fere ubique revocatur.

mori quam tot mala sustinere. Post nuptias autem, cum didicerimus Gemmam et Servium apud Iosephum Genuini fixisse lares, ego et soror eos salutatum ivimus. At Gemmam alloqui negatum nobis est sub praetextu quod abesset. Et quibusdam post diebus audivimus eam valedixisse viro et ad aviae domum confugisse.

f) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 16 ianuarii 1885.

86. Victoria Zeri (cf. *not. 43*) interrogata est et respondit prout sequitur: Victoriae Zeri.

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Victoria Zeri, aetatis quinquagesimum annum necdum egressa, sarcinatrix, versor in civitate N.

b) Quamnam habes cum Servio Serventi et Gemma Genuini consuetudinem? — Servium non cognosco, Gemmae sartricis operam navabam.

c) Quid noscis de matrimonii Servium inter et Gemmam intentione? — Novem circiter abhinc annis, cum vestimentum a me confectum ad eam detuli, plorantem deprehendi; et percontata de causa, respondit per genitorem Iosephum Genuini compelli ad nubendum Servio Serventi, a quo abhorrebat.

Patri obtemperandum esse dixi; sed illa reposuit se nulla ratione a proposito discessuram et acerbissimas amaritudines, si coacta fuisset, omnibus allaturam. Eapropter vestem dimisi non experta num ei bene adhaereret, et abii. Octo post dies reversa, a cubicularia dolens accepi eam venenum deglutisse ac lecto incumbere. Aliis decem circiter exactis diebus, denuo redii, et cum illam vidissem nimis pallidam ac macilentam, exclamavi: Domina quid feceisti? Ad haec illa: parum quod feci, maiora patrabo semel ac pater vi me compellere vult ad Servium mihi virum sumendum. Vestimenti pretium mihi solvit, nec curavit an se caperet.

Post aliquantum temporis audivi Gemmam a Servio vi raptam fuisse et in domum equitis Calvi exceptam; deinde

factas nuptias et neo-coniuges habitasse in domo Iosephi Genuini, quo Gemmam salutandum adivi, sed eam alloqui negatum mihi est sub praetextu, quod abesset; tandem aliquot dies transierunt ac didici novam coniugem, viro et patris aede relictis, ad aviae domum avolasse, tota vicinia indignata quod genitor puellam vi Servio uxorem commisisset.

d) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 16 ianuarii 1885.

Hygini Genuini.

87. Hyginus Genuini (cf. *not. 43*) interrogatus est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Hyginus Genuini, in aetate annorum 27 constitutus, bonorum possessor, commoror in civitate N.

b) Quae tibi cum Gemma sunt vincula? — Est soror mea. Attamen illa habitabat cum avia, ego et pater aliam aedem incolebamus.

c) Quid noscis de matrimonii Servium Serventi inter et Gemmam Genuini intentione? — Ferme novem abhinc annis, occasione qua aviam ac sororem salutatum adiveram, vidi patrem primum alapa ferire deinde impulsu in attiguum cubiculum sororem meam coniicere. Stupens sciscitatus de causa sum aviam, in qua multam confisionem collocabam, et ipsa me docuit parentem eam cogere ad denubendum Servio Serventi. Posthac adverti genitorem in domo furentem ac intractabilem; et avia me certiorabat violentias in sororem perdurare.

Semel ausus sum omni tamen reverentia considerationem aliquam patri ob oculos ponere. At ille aspere ac severissime me redarguit iussitque me silere atque mea ad officia incumbere. Meam fortasse praesentiam aegre ferens genitor rus me misit sub obtentu ut quibusdam operibus praecessem, diu ibi permansi. Semel atque iterum in urbem remeavi, at ille rus me redire iussit. Post 40 fere dies civitatem rursum petii et ab avia didici sororem a Servio fuisse vi abductam, exceptam ab equite Calvi, factas nuptias; neo-coniuges incolere

in aede patris mei; ubi vidi sororem tristem, quae mihi dicens: nupsi Servio, acerbos ploratus edidit. Postridie perdolens rus profectus sum; ibique post 5 vel 6 dies accepi sororem, viro relicto ac aede paterna, ad aviae domum confugisse, quo genitor eam insectatus verborum acerbitate ac verberibus affecit.

d) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 16 ianuarii 1885.

88. Henricus Provenzali (cf. *not. 43*) interrogatus est et respondit prout sequitur: Henrici Provenzali.

a) Quomodo vocaris? Cuius aetatis et conditionis sive officii existis? ubinam habitas? — Henricus Provenzali, 44 annorum, negotior, in hac urbe.

b) Quid nosti de matrimonii inter Servium Serventi et Gemmam Genuini contrahendi intentione? — Cognita huiusmodi matrimonii intentione, in vicinia omnes advertebant Servium dolentem, quia nimio amore erga Gemmam inflammatus, non certus erat ab ipsa redamari. Interea temporis in illum incidi, et dixit mihi patrem sibi favere et in filiam nil non ausurum, si nuptias respuere perseveraret. Servius praeterea mihi commisit, ut cum genitore et puella agerem. Pater, ut ei patefeci Servii et propinquorum timores, excanduit inquiens filiam (quam alloqui datum mihi minime est) quocunque pacto uxorem Servio futuram.

Haec statim atque ei retuli, Servius exclamavit: semel ac partes meas pater tuetur, factum aliquod audietis quod per hominum ora volitabit. Reapse Gemma posthac a domo disparuit. Inter propinquos et etiam extraneos tradebatur raptum perpetratum a Servio cooperante aliquo in familia Genuini potentissimo et subinde, ne vindictae publicae auctores obnoxii fierent, dictum esse agi non de raptu, sed de fuga. Ceterum, cum illis diebus ego negotiorum causa longe abessem, multa ignoro.

Quando in patriam reversus sum, ab uxore audivi nuptias factas esse forma insueta, absque cognatorum amico-

rumque interventu ; neo-coniuges cohabitasse in aede patris Gemmae ; hanc post 7 vel 8 dies valedixisse viro et ad aviae domum convolasse. Quo, instantibus Servii propinquis, profectus sum ut Gemmam ad virum reducerem. At illa ut os aperui, respondit nil minus impossibile esse et conscientiae cruciatus in omne aevum dilaniaturos patrem, quippe qui se alligavit viro, quem in sempiternum osura est.

Tandem ex conscientiae debito refero Lentulum Serventi pridie quam examen subirem apud tribunal primae instantiae rogavit me ut testimonium pro matrimonio dicerem, quia sua, ut ipse aiebat, interest coniugium Servii, fratris sui, sustineri. Cum ei exprobrassem inhonestum consilium respondit se mirari quod a propinquo, sobrinus enim eius sum, obtinere non posset favorem, quem ab aliis etsi extraneis emeruerat.

Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 17 ianuarii 1885.

Isidori Tomba.

89. Isidorus Tomba (cf. *not. 43*) interrogatus est et respondit prout sequitur :

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Isidorus Tomba, annos 41 natus, paterno censu praeditus, in urbe N.

b) Quamnam habes cum Servio Serventi et Gemma Genuini consuetudinem? — Mea et Gemmae mater sorores sunt. Nec propinquitatis nec alio vero vinculo sum Servio coniunctus.

c) Quid noscis de matrimonii Servium inter et Gemmam intentione? — Vertente mense septembri 1880 e mea ad Iosephi Genuini urbem, ubi bona possideo, profectus sum, ceu facere soleo bis in anno. Cum essem ibi venerunt ad officiosae salutationis munus Ioseph et Gemma Genuini et sermo incidit in connubium de quo agitur ; ac filiam nuptiis repugnantem pater, furore correptus, colaphis oneravit, praesentibus me, marchione et marchionissa Noli.

Insequenti mense februario, eo pariter reversus ut lustra-

rem praedia, a marchione Noli, cuius hospes eram, didici fervere usque patrem inter et filiam ob matrimonium in domo Genuini pugnam. Et paucis post diebus idem Ioseph renuntiavit mihi connubium die sequenti celebratum iri rogavitque ut me sibi ea in caeremonia comitem praeberem. Quocirca vespere memoratae diei adduxit me ad aedem equitis Calvi, ubi Gemma in eo erat ut ad ecclesiam proficisceretur ac tristis et plorans supplicibus verbis genitorem precata est ne violentiis adigeretur ad nubendum Servio, quem detestabatur. At ille furore prouti de more incensus, puellam una arripuit manu et aliam elevavit percussurus, nisi fuisset ab astantibus praepeditus.

Animis aliquatenus pacatis, ego, Ioseph et eques Calvi ad ecclesiam parochialem porreximus, ubi Gemma fere deliquium passa est. Sedem ei praebere debuimus. Subinde uxor equitis Calvi Gemmam duxit ad aram, quo progressus est et Servius, qui ibi manebat cum duobus testibus. Ego, Ioseph et eques Calvi longe in ipsa ecclesia consistimus. Caeremonia absoluta, Iosephi Genuini domum petimus omnes, sed extemplo discessi quia me urgebat hora remeandi ad patriam.

d) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 17 ianuarii 1885.

90. Aloisia Trincia (cf. *not. 43*) interrogata est et respondit prout sequitur: Aloisiae Trincia.

a) Quomodo vocaris? Quae tibi aetas et conditio? ubinam habitas? — Aloisia Trincia, 38^{m} aetatis annum attigi, vivo labore manuum, in urbe N.

b) Quae tibi cum Servio Serventi et Gemma Genuini vincula? — Nullum unquam fuit mihi vinculum cum Servio. Apud Gemmae aviam aliquando dandis operis merui.

c) Quid nosti de matrimonii Servium inter et Gemmam contrahendi intentione? — Novem circiter abhinc annis, idest tertio a suscepto famulatu die, memorata avia me misit ad equitem Calvi, ut certioraretur de valetudine Gemmae, inibi commorantis; quam vidi pallidam tristemque. Et altera vice,

qua pariter illam adivi, commisit mihi rogare aviam ut pergeret patrem, Iosephum Genuini, dehortari a proposito. Tum cognovi puellam compelli a genitore ad sibi adiungendum virum Servium Serventi.

Paulo post avia vocavit marchionem Noli generum suum, quocum locuta est et duobus, nisi me ipsa fallo post diebus praecepit meliorem mihi vestem induere et pergere in domum equitis Calvi ad pectine crinem Gemmae ornandum, quia vespere explendae erant nuptiae. Necdum absolveram capillo pectinem adhibere, cum advenit pater, a quo miserrima omnium, acerbe flens, quam potuit studiosissime postulavit ne cogeretur ad nubendum Servio, quem exhorrebat. Sed genitor, furore inflammatus, misellae, arreptae crine et ad murum impactae, pugnum collo infligit, minitans necem inferre, si resistere perseveret et si quod vel tenuissimum *tristitiae indicium exhiberet*. Adiecitque se hanc etiam ob causam neo-coniugibus hospitium praebiturum.

Discessi obstupens ac horrescens et ad aviam reversa, narravi omnia. Post duos dies domina me misit ad Iosephi Genuini domum ut certior fieret de Gemmae salute, quam videre datum non mihi est, cubicularia dicente: eam e cubiculo exire non posse. Idipsum contigit mihi post duos et alios subinde dies. Donec 10 circiter die Gemma a patris ad aviae domum confugit, ubi abscondimus ut iram genitoris, qui eam quaerebat, vitaret. Paulo post negotia familiae me alio vocaverunt.

d) Quibus habitis (cf. *not. 26*).

Die 20 ianuarii 1885.

Gemmae Genuini.

91. Gemma Genuini (cf. *not. 43*) interrogata est et respondit prout sequitur:

a) Quomodo vocaris? Cuius aetatis et conditionis vel officii existis? Ubinam habitas? — Gemma Genuini, annorum 25, praedia possideo, in urbe N., via N., n. N.

b) An saevitiae, quas a patre passa es, adhibitae fuerint, praesentibus vel contra remotis arbitris? — Fere semper absque testibus.

c) Quare in primo examine iurasti defuisse testes? — Locuta tum sum de ordinarie contingentibus. Non tamen excludere volui contrarios eventus. Exempli causa in domo marchionis Noli alapa me multavit pater praesentibus marchione eiusque uxore amita mea et Isidoro Tomba sobrino, alias aliis praesentibus in domo sua necnon in aede equitis Calvi.

d) Quando post raptum evasisti a diversorio, quonam confugisti? — Ad aviae, quae curavit ut ab equite Calvi domi exciperer, uno ex nostris familiarissimis atque intimis.

e) Quae fuit genitoris tui post raptum agendi ratio? — Nihil omnino ea se re affectum ostendit. Adeo ut convinci debuerim raptum patratum fuisse consentiente patre.

f) Altero in examine professa es aviam et patrem tuum in una eademque domo habitare, verumne id est? — Ineptis fortasse verbis usa sum. Significare volui aedium dominium indivisum esse; non autem patrem et aviam eadem in domo versari. Nam ille in via " Lenti „, ista vero in via " Posi „ lares habebant.

g) Quibus habitis (cf. *not. 26*) [51].

Publicatio processus ut in n. 72.

---

[51] Recitatum Gemmae Serventi natae Genuini examen etiam atque etiam prodit virorum ceteroquin praestantium, qui acta praesentis causae moderati sunt, forensem imperitiam. Certe in prima iudicii sede actor vel actrix primus ad examen adducendus est. Sed quid ei post hoc supersit plane definit Instructio, a S. C. C. die 22 augusti 1840 edita, hisce verbis: " Poterit pars examini subiecta vel illico post examen vel etiam deinceps *antequam publicetur processus,* si velit articulos proponere, super quibus etiam, citato defensore matrimonii, erit examinandus alter coniux, et quatenus etiam ab hoc articuli proponantur, erit iterum citandus coniux, qui primus fuerat interrogatus et, astante defensore matrimonii, super articulis ab altero propositis audietur „.

a) Quod si dicas: quo iure licuit excipere testes ab appellante Gemma productos, eodem et ipsam examini supponere licitum fuit, respondeo, hoc in casu illam non postea sed antequam testes excuti debuisset. Re enim vera etiam in causis in quibus sententia ob materiam peccati et proin ob irremissibile vitium nunquam transeunt in iudicatum, docet cit. Sanchez *de matr. lib. 7, disput. 100 n. 5:* " transire tamen quoad hoc ut non indiscri-

Ill.me et R.me Iudex.

Defensio appellantis.

92. Haud me movent testimonia a quinque viris in prima iudicii sede pro matrimonio reddita. Testes enim, qui clientis nostrae actionem sustentant, longe plures numero sunt eorumque dicta tanta eloquentia praestant ut vim, qua Ioseph Genuini Gemmam filiam ad nubendum Servio Serventi pertraxit, nitide evincant.

Reque vera Antonius Mestichini vidit genitorem rudibus verbis filiam flectere perperam obnitentem, cum vero testis partes Iosephi suscepisset, puella respondit: cur non tu Servio uxorem committis unam ex filiabus? *(nn. 65-b et 84-c)*. Henricus Provenzali in mandatis a Iosepho habuit certiorandi Servium de connubio desperantem, Gemmam ipsi quocunque pacto nupturam *(n. 88-b)*. Caietanus Cagli suis ipse auribus audivit Gemmae aviam Iosephum a violentiis filiae inferendis frustra dehortantem *(n. 82-c)*. Marchioni Noli pro Gemma intercedenti Iosephus, praesente Laurentio Centi, respondit: Coniugium obtinebit quamvis filia animam exhalet *(n. 83-c)*. Coram Nicolao Cagli sonoram alapam pater Gemmae impegit, inquiens: nisi Servio denubat mori compellam *(n. 85-c)*. Hyginus Gemmae frater post nuptias rure rediens, sororem vidit tristem, quae dicens: nupsi Servio, acerbos ploratus edidit *(n. 87-c)*. Isidorus Tomba auctor est: "filiam nuptiis repugnantem pater colaphis oneravit, praesentibus me, mar-

---

minatim eam impugnare volens audiatur, sed oporteat allegare aliquam verisimilem iniustitiae causam, quae iure optimo iudicem ad id credendum ducat: ne in infinitum pars contraveniens audiatur..... Quare iudex debet praemittere summariam causae cognitionem non citato adversario et, ea apparente iusta audiri debet volens impugnare sententiam, secus non „. Eapropter Gemmam iudex ante omnia excutere debuisset, potissimum ut arguere posset an illa in iustitia litis seu potius in subornatione confideret; et proinde decerneret admittere vel respuere petitam testium auditionem.

Pene infinitus essem, si vitia recensere vellem interrogationum, quibus Gemma excussa est, sed supersedeo, quia iam liquet praesens specimen non esse propositum quasi exemplum imitandum.

chione et marchionissa Noli „ *(n. 89 c.)*. Aloisia Trincia nuptiarum die vidit Iosephum filiae, ad ecclesiam proficisci cunctanti, arreptae crine et ad murum impactae, pugnum collo inferente *(n. 90-c)*.

Una praeterea vox omnium fuit Gemmam veneno sibi mortem consciscere expertam fuisse. Eo vero amentiae processisse ne Servio nubere a patre cogeretur testantur: Caietanus Cagli *(n. 82-f)*, Laurentius Centi, marchio et marchionissa Noli, qui omnes curationi interfuerunt *(n. 83-c)*, Victoria Zeri, cui Gemma professa est se nedum suicidium, verum et quodcunque aliud flagitium admissuram si a patre diutius compellatur ad Servium sibi virum sumendum *(n. 86-c)*.

Tametsi, in infelicissimam omnium ausum aliquid est, quod neque apud barbaras gentes factitatur. Tres feritate ac inhumanitate teterrimi homines, horresco referens, puellam adoriuntur, os ei obturant, vi domo abstrahunt atque brachiis deferunt ad Servium, virium motus ac sensus facultate destitutam *(nn. 61-c, 62-c, 63-c et 64-c)*. Idque perfectum est auctoribus Servio et ipso Gemmae parente, ceu patet ex iis quae habent: Antonius Mestichini *(n. 84-e)*, Henricus Provenzali *(n. 88-b)*, Laurentius Centi *(n. 83-e)*, Nicolaus Cagli *(n. 85-d)* et ipsamet Gemma *(n. 91-e)*. Divino tamen favore cum raptoris manus exacto vix die evadere potuerit, ad Iuliam Quercetti aviam suam via " Pofi „ avolavit. Ut hoc rescivit Ioseph, ursit nuptias et puellam ad parochum rapuit, ubi illa in praesentem Servium trucibus oculis minacique patris aspectu consentire coacta est. At sacerdos (inquis) qui matrimonialem consensum nupturientium excepit, testatur Gemmam in celebratione matrimonii hilarem ac laetam se exhibuisse. Mirum id minime est. " *Multi* enim, ait Alexander de Nevo apud Barbos. *(vot. decisiv. vot. 1, n. 110) fingunt ridere qui timent* „. In praesenti vero, teste Laurentio Centi, apud memoratam aviam pater egerat ut Gemmae suaderet hilarem se exhibere *(n. 83-f)*, et Aloisia Trincia iureiurando affirmat genitorem eomet actu, quo filiam ad ecclesiam adduxit matrimonii causa, necem minitatum esse, si quod vel tenuissimum tristitiae indicium ostenderet *(n. 90-c)*.

Quapropter Barbos. *(loc. cit. n. 84)* tradit: " Cum ex testium depositionibus notorie probetur metus in casu ad effectum de quo agitur, nihil obstant probationes aliae, licet uberiores, de enixa voluntate contrahendi, quia magis creditur duobus testibus de metu, quam mille de spontanea voluntate deponentibus „ [52].

---

[52] Plus semel meis ipse auribus audivi a causarum patronis: " Magis creditur duobus testibus de metu, quam mille de spontanea voluntate deponentibus „. At paradoxum explicat post alios (apud Barbos. *vot. 17, n. 118*) Decius inquiens: " Quia testes (metum affirmantes) deponunt de actibus positivis metum inferentibus, puta minis, verberibus et similibus, quae sensu corporis percipiuntur: alii autem deponunt de secreta voluntate „.

Rem exemplo declarat Innoc. (apud cit. Barbos. *vot. 1, n. 86*): (ibi) " Quod si per duos testes probatur violenta spoliatio, non valet aliquid probatio tentans probare spontaneam voluntatem, etiamsi per centum testes hoc probaretur, quoniam non possunt scire intentionem, quae soli Deo cognita est: et de invisibili, et quae non audiunt, ferunt testimonium, de quo nulla potest esse certitudo, quia oculus non vidit, sicut requiritur ad probandum verum actum hominis „.

Hinc limitationibus obnoxium esse praefatum axioma docet Sanchez, *de matr. lib. 4, disput. 27, nn. 2 et seqq.*: (ibi) " Primo intelligendum est nisi pro deponentibus de spontanea voluntate, adessent praesumptiones et coniecturae. Sic Decius..... exemplificat, ut si actus fieret in praesentia iudicis, quo casu non praesumitur metus, et adiicit Padilla existenti tali praesumptione de libera voluntate iudicem arbitraturum quibus testibus maior fides adhibenda sit. Secundo intellige, quando testificatio asserentium spontaneam voluntatem, seu non intervenisse metum, est simpliciter negativa, secus si esset negativa coartata loco et tempore: tunc enim non praefertur probatio spontaneae voluntatis probationi metus, sed aeque creditur affirmantibus sicut negantibus.... Unde data paritate terminorum, aeque credendum est deponentibus de metu ac de libera voluntate: nam in utroque casu testes de re externa testantur, et sicut metus per media externa probatur, ut per minas, ita libertas „.

In causa, de qua agimus, testibus, de spontanea voluntate deponentibus, etsi actus externos, hilaritatem nempe actricis in celebratione matrimonii affirment, fidem nihilominus adiiciendam haud esse contendit eius patronus, quia nonnulli testes asserunt illam hilaritatis signa exhibuisse, minis a patre ad id compulsam. At quamvis id abscisse negare nolim, quia nec absolute impossibile est nec testes in praesenti causa iurantes laedere volo; attamen inspectis modernae societatis moribus et solemnitate potissimum a sacro Concilio Tridentino in matrimonii celebratione prae-

Quid plura? Iosephus iure veritus, ne filia fugae se committeret antequam Servii aedem ingrederetur, optimum factu putavit neo-coniuges apud se excipere *(n. 90-c)*. Sed oleum operamque perdidit. Necdum enim decem dies ab hymenaeo exacti erant, cum Gemma arrepta occasione quod vir et pater domo aberant, fugit, evasit, erupit.

Dat. Nennii die 20 februarii 1885.

Zeno Piatti, adv.

Ill.me et R.me Iudex

Animadversiones in favorem matrimonii.

93. Oculis ipse meis vix credebam, cum depositiones testium legerem, queis adversus orator probare pertentat Gemmam Genuini Servio Serventi nupsisse invitam. Fac audias instructissimos aeque ac praestantissimos testes.

Primum Iosephus Serventi, qui etsi nullo propinquitatis vinculo Servio devinctus sit, ei tamen eiusque domui familiarissimus atque intimus est, iureiurat Servium in pagum a S. Francisco proficiscentem ad colloquendum cum Gemma, compluries comitatum fuisse ac ex ore ipsius didicisse impensum, quo nupturientes exardebant, amorem *(n. 67-c.)*; Theophilus Boni, *sacerdos* ac *poenitentiarius*, iusiurandum inter-

---

scripta puto facilius contingere posse ut testes, ea narrantes, apud iudicem recitent sermonem a leguleio aliquo ad opportunitatem litis excogitatum, quam ut genitores aliique queant cogere sibi subiectos ad simulandam hilaritatem in ritus illius absolutione. Iudices itaque in singulis casibus arbitrabuntur, ob oculos habitis personarum religione, probitate ac ingenio.

Propter immutatos pariter populorum mores temperanda venit doctorum doctrina, quam Barbos. *loc. cit. nn. 105 et seqq.* sic perstringit: " Praesumitur metus antecedens semper durare, quandiu metum passus est in potestate et custodia ipsius metum inferentis, nec purgant illum metum quicunque actus voluntatis spontanei per ipsum metum passum quomodocunque facti imo magis ipsum metum confirmant „. Diebus nostris iudices solicita cura colligunt indicia a metum passo edita tempore coniugii celebrationi proximo, et sacrum foedus ratum habent, si hilaritatem ostenderit vel desisterit a non desperata oppositione imminentibus nuptiis, quamvis extra dubitationis aleam positum sit timorem antea illatum illi fuisse.

ponens, inquit: " Meis oculis vidi vehementis benevolentiae inter ipsos (Servium et Gemmam) manifestationes, publice etiam notas „ *(n. 68-c);* Paulus Righi, vices parochi gerens in pago a S. Francisco, iurat: " Vidi illos a pueritia inter se vehementer amari „ *(n. 69-c).* Gaspar Micheli a familia Niti, domui Genuini attigua, apud quam multus erat, cognovit puellam (Gemmam) amore Servii deperiisse eique suapte natura nupsisse, postquam repugnare cessaverant parens et consanguinei *(n. 70-d).*

Franciscus Pergolesi, vice-parochus, testatur eos amoris officia mutuo praebuisse intuitu matrimonii; et cum genitor ac propinqui nollent Gemmam Servio nubere, ob inferiorem huius conditionem, illa veneno conata est necem sibi inferre *(n. 71-c).* Gaspar Micheli pariter a memorata familia Niti accepit Gemmam eo dementiae pervenisse, quia nuptiis Servii inhiabat quibus pater omnino adversabatur *(n. 70-c).* Idipsum iureiurando affirmant: vice-parochus Righi *(n.69-c),* sacerdos et poenitentiarius Theophilus Boni *(n. 68-c)* ac Iosephus Serventi *(n. 67-d).*

Sed audaciae fastigium attingit adversa contentio, cum res est de Gemmae raptu. Ut scepticis suadeant Gemmam a Servio vi raptam fuisse, herculee insudant, praeter ipsos Gemmam et Servium, testes numero 9: nempe Aulus Nisi *(n. 61),* Lucidus Pepe *(n. 62),* Franciscus Lepori *(n. 63),* Iulius Capri *(n. 64),* Antonius Mestichini *(n. 84-c),* Henricus Provenzali *(n. 88-b),* Lurentius Centi *(n. 83-e),* Nicolaus Cagli *(n. 85-d),* Victoria Zeri *(n. 86-c),* Hyginus Genuini *(n. 87-c).*

Iam vero Gemmam non raptam fuisse, sed fugam ex condicto cum Servio arripuisse argumenta apodictica demonstrant. In primis enim praeter memoratos Iosephum Serventi *(n. 67-c)* ac Gasparem Micheli *(n. 70-c)* non raptum sed fugam fuisse testantur tres supradicti sacerdotes Theophilus Boni *(n. 68-d),* Paulus Righi *(n. 69-d)* et Franciscus Pergolesi *(n. 71-c).* Sed nostris potissimum temporibus (recolam cum eximio viro, qui in primo iurisdictionis gradu matrimonii iura vindicavit), quibus languescit fides et laici legumlatores inficiantur indissolubile sacri foederis vinculum, concorde

trium sacerdotum testimonium, cum agitur de ecclesiasticis aestimatione publica ornatis ac de factis in quibus nec interesse habent decipiendi nec decipi facile possunt, praeterquam quod apodicticum est, praepollet saecularium testium phalangi.

Huc accedit quod Gemma et Servius, dum fugam in raptum traducere pertentant, iureiurando affirmant puellam adductam fuisse ad diversorium N.: unde post 24 horas evasisse et ad aviam reversam *(nn. 56-o et 57-e)*. Quae omnia a veritate aliena testes etiam ab ipsa Gemma producti confitentur. Non solum enim supradictus vice-parochus Pergolesi, qui matrimonio praefuit, auctor est: " Gemma cum Servio fugit ad domum equitis Calvi modo vita functi, qui hospitium ei praebuit usque ad diem nuptiarum quo ipsam ad ecclesiam comitatus est *(n. 71-d)* „, sed etiam Aloisia Trincia, aviae cubicularia, iurat: " Novem circiter abhinc annis memorata avia bis me misit ad equitem Calvi ut certioraretur de valetudine Gemmae, inibi commorantis. Paulo post avia praecepit meliorem mihi vestem induere et pergere in domum equitis Calvi ad pectine crinem Gemmae ornandum, quia vespere explendae erant nuptiae *(n. 90-c)* „, Isidorus Tomba aras tangens refert: " Ioseph (Gemmae pater) renuntiavit mihi connubium die sequenti celebratum iri rogavitque ut me sibi ea in caeremonia comitem praeberem. Quocirca vespere memorati diei adduxit me ad aedem equitis Calvi, ubi Gemma in eo erat ut ad ecclesiam proficisceretur *(n. 89-c)* „. Haec, ni fallor, luculenter *primo* demonstrant Gemmam ad equitem Calvi, domus Genuini amicum *(nn. 67-c et 91-d)*, suffragante Servio, confugisse ut patrem adduceret ad consentiendam expeditam concupiti matrimonii celebrationem *secundo* contentionem coacti connubii evertunt. Metus namque cadens in constantem virum, inter alia, ceu docet Sabellius *summ. divers. tractat.* § *metus, n. 3,* necessario requirit: " ut timens non possit facile occurrere malis quae sibi timet imminere, quia si posset alia ratione mederi, non esset iustus metus „. At ex quo Gemma ab equite Calvi domum excepta est, quaecunque patris violentia imminere cessasset.

Nec meliori omine Gemma obiicit se coram parocho et testibus in Servium consensisse, territam praesentia vultuque patris minaci. Nam saepedictus vice-parochus praeterquam quod testatur hilaritatem laetitiamque puellae, fidem facit neque genitorem neque quenquam alium ex Gemmae propinquis interfuisse *(n. 71-e)*. Isidorus Tomba contentus est asserere: " Ego, Ioseph et eques Calvi longe (a nupturientibus) in ipsa ecclesia consistimus „ *(n. 89-c)*.

Oleum vero operamque perdit, dum per testes post didicita testificata prolatos, suadere pertentat neo-coniuges non in viri, sed in patris mulieris aede cohabitasse indeque novam coniugem marito et patre insalutatis, paucos post dies ad aviae domum avolasse. In prima enim iudicii sede nedum Iulio Capri *(n. 64-d)*, Henrico Provenzali *(n. 66-c)*, ab actrice productis, nedum Iosepho Serventi *(n. 67-g)* et Gaspare Micheli *(n. 70-f)*, verum etiam ecclesiastico viro Paulo Righi vice-parocho *(n. 69-d)* (quod apprime pensandum est) auctoribus, firmatum fuit Gemmam absolutis nuptiis traductam ad viri domum ibi plures menses cum illo habitasse.

Tametsi nemo est qui a rebus inextricabilibus facilius, quam Gemma, se expediat. In principali sane causa illa iuravit: " Domus aviae et genitoris mei tam ruri quam in urbe una eademque erat „. Eapropter non est qui facile intelligat quid sibi velint, testes in appellatione excussi, dum iureiurant, neo-coniugem *a patris aede, ad aviae domum avolasse*. At iudici appellationis hanc difficultatem obiicienti Gemma impavide respondet: " Ineptis fortasse verbis usa sum. Significare volui aedium dominium indivisum esse, non autem patrem et aviam eadem in domo versari *(n. 91-f)*.

Obiicis forsan paucos prae contrariis esse testes matrimonio suffragantes. At responsio est in medio: testes enim plures vel pauciores adesse solent prout impensius aut remissius est illorum, qui eos perquirunt, studium. Ideoque pro matrimonio, praesertim cum ambo coniuges dissolvi cupiunt vel passive alteruter se habet, vix est qui testimonium dicat.

Ceterum ex *l. 1, § 2 ff. de testib.* ad rem duo aeque cavenda sunt, scilicet, ne testium numerus necessarius desideretur et

ne superfluus irrepat. Quinimo glossa ibi monet: " Qui effrenata producendorum testium licentia abutuntur, in suspicionem veniunt, quasi non satis veritati confidant „. Quae suspicandi ratio etiam atque etiam urget in praesenti, quia 1°. tum actrix cum Servius nitide professi sunt non esse qui noverit assertam coactionem *(nn. 56-f et 57-n);* 2°. actricis patronus eos antequam ad examen accederent allocutus est et apparet eos ut plurimum per accidens ac veluti per miraculum coactionis factis, quae referunt, interfuisse, nec videntur *simpliciter dicere ac ad ea de queis interrogantur, ex tempore verisimiliter respondere, sed potius unum eundemque meditatum sermonem afferre,* ex quibus ad tramites *legis 3 ff. de test.* arguuntur corrupti testes; 3°. novem ex adversis testibus prolati sunt in iudicio appellationis, quod generaliter impermissum est, quia post attestationum publicationem ex censura *Clementinae 2 de test. subornatio timenda est.*

Nec in praesenti erat exceptioni locus. Quamvis enim matrimonialibus in causis post publicationem attestationum et etiam post definitivam sententiam testes recipi possint, id tamen invectum est ob *materiam peccati,* ut ait Barbos. *collect. doctor. in cap. 26, de test. et att. n. 5,* et ita *propter vitium irremissibile,* sententiae erroneae inhaerens. Ideoque limitatur ad casus in quibus matrimonium non consensu coniugum revalidari possit. Ubi enim consensu partium sanari potest iam remissibile est vitium erroneae sententiae inhaerens; et reapse remittitur vitium ac cessat materia peccati accedente expresso vel tacito coniugum consensu ceu docet Sanchez *de matrim. lib. 7, disput. 100, n. 13.*

Postremo ut muneri mihi commisso faciam satis, silere haud possum Ill.mum et R.mum Iudicem ne unam quidem adhibuisse ex circumspectionibus, quas auctores, ut videre est apud Leuren. *for. eccles. lib. 2, qq. 617, n. 2 et 664, n. 1,* invexerunt ad obviandum per quantum fieri potest subornationi huiusmodi in casibus imminenti.

Dat. Memmii die 10 martii 1885.

Flavius Socci, defensor matrim. ex officio.

Citationes coniugum ad audiendam sententiam ut in nn. 43 et 44.

Die 16 februarii 1885.

Sententia legitur et publicatur.

94. In causa nullitatis matrimonii inter Gemmam natam Genuini et Servium Serventi vertente;

Viso libello appellationis die 2 ianuarii 1885 huic archiepiscopali curiae porrecto, quo Gemma revocari postulat ill.mae et r.mae episcopalis curiae nenniensis sententiam, die 8 maii 1884 lectam et publicatam, declarantem non constare de memorati coniugii nullitate, quod appellans vitio *vis et metus* tabescere contendit;

Auditis testibus ab appellante in praesenti iudicii sede productis;

Considerantes statum quaestionis in appellatione longe alias ac in causa principali ob oculos subiici;

Ponderantes verbera, vexationes et minas, quibus pater usus est ut Gemmam, Servio nubere resistentem, flecteret, eas esse quae metum in constantem virum cadentem constituant;

Animadvertentes tam violentiam ex parte patris, quam repugnantiam filiae, a primo momento quo de connubio agi coeptum est usque ad expletas nuptias constanter perseverasse;

Pro certo habentes coniugia metu gravi inita iuris robore destitui;

Praemissis aliisque visis ac consideratis de iure considerandis, nos Tullius Negri vicarius generalis archidioecesis memmiensis solum Deum prae oculis habentes, dicimus, declaramus et pronunciamus constare de matrimonii nullitate inter Gemmam natam Genuini et Servium Serventi die 9 februarii 1881 celebrati et proin revocamus sententiam ab ill.mo et r.mo Iustino Senni vicario generali dioecesis Nennii die 8 iunii anni nuper elapsi latam. Ita hoc et omni meliori modo.

Lata, lecta et publicata fuit die 16 februarii 1885 in civitate Memmii.

Tullius Negri, vic. generalis.
Georgius Fini, actuarius.

95. In continenti Flavius Socci defensor matrimonii ex officio appellavit ad sacram Congregationem Concilii.

Sacramenti vindex provocat ad S. C. Concilii.

Georgius Fini, actuarius.

96. Sacra vero Congregatio die 4 aprilis 1894 rescripsit: " Dilata et transmittantur acta ad episcopum C. iuxta mentem „. Et die 20 februarii 1897 responsum dedit: " Sententiam curiae memmien. esse infirmandam „. Non tamen Gemma fasces submisit, sed novis adhuc productis testibus obtinuit tertio a S. C. Concilii causam disceptari, quamvis malis avibus. Die enim 23 ianuarii 1904 amplissimus Consessus rescripsit: " In decisis „ [53].

S. Cong. revocat sententiam curiae memmiensis.

---

[53] Libellum, quo Gemma nata Genuini actionem instituit adversus matrimonium cum Servio Serventi initum in pretio habuit aditus iudex, quia parvi fecit, ceu diximus in *not. 37,* doctrinam in *not. 6* enucleatam.

Iudex appellationis examen testium admisit post didicita testificata, refragantibus fori legibus, ut dictum est in *not. 47.*

Hoc forensium legum contemptu factum est ut per viginti annos, si heic erit finis, divexata Gemma sit flagello litis. Quis sumptus ac animi eius angustias aequa lance aestimare potest? Audivi eam valetudinem amisisse, laborare corde. Conscientiae suae consulturam fidendum erat, si ab initio didicisset desperatam esse causam nec captionibus apud ecclesiasticos iudices lites exerceri. Sed nunc, post tot casus, tot discrimina rerum, faxit Deus ne iam sit aeternae salutis immemor.

Quod Gemmae, idipsum, plus minusve, evenit omnibus, qui dolose, malitiose et temere lites intentant.

INDEX

RERUM NOTABILIUM

Litera *n.* designat numerum textus, *not.* annotatione m.

ABBAS.

Vid. *Causae matrimoniales.*

ACTA.

Quando Acta processus dicantur authentica.

ACTIO.

Vid. *Intentio.*

ACTOR.

Quamobrem expediat ut actor in iudicii libello designet suae habitationis sedem, *not. 2.*

Actori incumbit onus probandi, *not. 6-b.*

Delibantur mala, quae actrix congerit in caput suum obtinendo primum agitari causam absque ratione sufficienti, deinde excuti testes post didicita testificata, *not. 53.* Vid. *Fundamentum,* vid. *Reus.*

ACTUARIUS.

Vid. *Iuramentum.*

ADVOCATUS.

Advocati, qui recte et iuste utuntur legibus, multum merentur apud Deum, *not. 13-c.*

Nonnulli tamen in perniciem reipublicae nati videntur, *not. 13-b.*

Integrum est litigantibus defensionem advocatis ab ecclesiastica curia probatis committere, *not. 38.*

APPARITOR.

Vid. *Nuncius.*

ARTICULI.

In productione testium exponi debent articuli, super quibus quilibet examinandus est, *not. 41 et 47.*

Non alio namque pacto iudex cognoscere potest num testes recipere debeat nec ne, *not. 41.*

Neque eos accommodatis ac necessariis interrogationibus urgere valet, dictos articulos ignorans, *cit. not. 41 et not. 48-g.*

CANCELLARIUS.

Vid. *Actuarius.*

CAUSAE MATRIMONIALES.

Cognitio causarum matrimonialium ad episcopos tantum pertinet, *not. 1.*

Hinc satius erit ut nedum sententia proferatur, verum etiam iudiciales tabulae per episcopum aut per ecclesiasticum virum ab eo delegatum conficiantur, *ibi.*

Iudicibus episcopo inferioribus nullum privilegium vel praescriptio in hac re suffragari potest, *ibi.*

Etiam abbatibus vere nullius, licet Cardinalitia dignitate fulgentibus, iurisdictio super connubiorum causis sublata est, *ibi.*

In matrimonialibus causis integrum est cuilibet coniugi proponere, antequam publicetur processus, articulos super quibus coniux alter examinetur, *not. 51.*

CIRCUMSTANTIAE.

Iurisconsulto magno usui esse solet circumstantia contestium, qui facto interfuerunt, *not. 28-e.*

Item circumstantia temporis, quo factum contigit, *ib.*

Affertur matrimonialis causa, cuius in diremptione vim ferme decisivam habuerunt circumstantiae contestium et temporis, *cit. not. 28-e-f.*

Vid. *Factum, facta.*

CITATIO.

Satius est in citatione, citra necessitatem, non indicare causam, super qua testis excuti debet, *not. 42.*

Curandum nam est ne testes ante examen sciant qui sint alii examinati vel examinandi, *ib.*

Testibus, qui alios nominat de re instructos, iudex inquisitor dissimulet, quantum potest, se illos ad examen adducturum, *not. 48-c.*

Citatio ad audiendam sententiam fieri debet specifice et nominatim, sub poena nullitatis, *not. 34.*

Si citentur partes ad audiendam voluntatem iudicis vel per verba aequipollentia, non valeret sententia, *ib.*

Invalida et elusoria est citatio, facta iussu iudicis delegati, si delegationis tenorem non secum ferat, *not. 19.*

Citatio *domi* dimissa copia valet, si prima citatio *personaliter* executa sit, vel, si citandus, factis diligentiis, non potuit reperiri, *not. 35.*

Vid. *Nuncius,* § *Citatio.*

CLAUSULA.

" Omni meliori modo „ etc. in libello operatur ut iudicis officium censeatur imploratum et omnia arbitrio illius remissa, *not. 4.*

Ut omnis actio et officium iudicis putetur intentatum absque aliqua expressione actionis vel officii iudicis, *ib.*

Ut potius actio competens sit instituta, quam conclusio inepta, *ib.*

Libelli ineptitudinem tollit, *ib.*

Facit ut libellus in casu dubio interpretetur favore libellantis, *ib.*

Remedia contraria quod possint cumulari, *ib.*

Contrarietatem et incertitudinem in libello aufert, *ib.*

Libellans quod censeatur deduxisse omnia narrata et non se restrinxisse ad conclusionem, si non competit, *ib.*

Excipiens actorem esse repellendum *omni meliori modo etc.* habet intentum, si actor audiri non debet licet non repelli, *ib.*

" Si et in quantum „ operatur ut admissa cum illa clausula, reiecta censeantur, si de iure non erant admittenda, *not. 24.*

Admissionem vero importat, quatenus de iure sit locus admissioni, *ib.*

CONCORDIA.

Ad concordiam reducere per censuras potest episcopus discordes etiam laicos, *not. 12-a.*

CONTROVERSIA.

Controversias ancipites componere pium et sacerdotale munus est, *not. 12-a.*

CURSOR.

Vid. *Nuncius.*

DEFENSOR MATRIMONII EX OFFICIO.

Sacrorum antistites ad sacri foederis valorem sustinendum eligere debent virum iuris scientia pariter et vitae probitate praeditum, si fieri potest, ex ecclesiastico coetu, *not. 7.*

Hic ante omnia praestare debet iuramentum officium suum fideliter exequendi, *not. 8.*

Huiusce defensoris est iura matrimonii voce et scriptis sustinere, *ib.*

Quaecunque in causis matrimonialibus acta sunt eo absente, nullitatis vitio tabescunt, perinde ac si citata haud fuisset persona, quae citanda erat ad actorum validitatem, *ib.*

Sacramenti defensor quaestiones seu interrogationes digerere debet coniugibus ac testibus proponendas, quas obsignatas iudici exhibet in actu examinis aperiendas, *not. 23.*

Quamvis examinare acta ante processus publicationem non coniugibus eorumve patronis liceat, integrum tamen id est connubii tutori, *not. 30.*

Nec processus publicationem iudex decernit, quin a sacri ligaminis tutore prius quaerat an aliae probationes exquirendae sint, *not. 30.*

Decreto publicationis processus et ipse subscribet, *ib.*

Liberum ei est novas probationes etiam post processus publicationem quaerere, *ib.*

Unde et priusquam definitivam sententiam edat iudex, ab eo postulat an aliquid aliud deducendum habeat, *not. 33.*

A prima matrimonio contraria sententia appellare debet, *not. 36.*

Casus, in quibus non ab illa appellare teneatur, *ib.*

DOMICILIUM.

Domicilium ubi quis citari velit, potest eligi ad libitum, *not. 2-b.*

Matrimonialibus tamen in causis necesse ut plurimum est designare domicilium habitationis, *cit. not. 2.*

ERROR.

Consensui nihil tam contrarium est quam error, *not. 31.*

Hinc si alius pro alio praetor aditus sit, nihil valet quod actum est, *ib.*

Si quis errore vel dolo circa substantialia adductus, vota solemnia nuncupet aut ineat matrimonium, non ligatur in foro conscientiae, bene tamen in foro externo, nisi dolus aut error is sit, qui cadat in prudentem virum, *ib.*

FACTUM, FACTA.

Ius totum mutatur propter minimam facti mutationem, *not. 28-d.*

Mutatione facti mutatur consilium, *ib.*

Factum incertum non potest expectare consilium certum, *ib.*

Responsum congruum dari non potest a iurisconsulto, nisi factum percipiat, *ib.*

Hinc, nisi testes incussionem metus narrent cum singulis circumstantiis, iudices nulla ratione aestimare poterunt num agatur de metu cadente in constantem virum, *cit. not. 28.*

Hinc aerem verberat testis denuntians : spectator fuit paterni in filiam furoris, obiurgationum ; pater nil intentatum reliquit, ut filiam ad matrimonium pertraheret atque similia, *n. 35-c.*

FIDES.

Fides extracta per parochum ex suis libris, ut in iudicio probet, est necessario facienda *cum formali* transcriptione partitae de verbo ad verbum, *not. 5.*

FORMA.

Forma, qua episcopus matrimonii defensorem nominat, *n. 5.*

Forma iuramenti a sacramenti vindice praestiti, *n. 6.*

Forma, qua parochus testatur de matrimonii celebratione. *n. 3 et not. 5.*

FUNDAMENTUM.

Fundamentum suae intentionis, ad effectum in ius reum vocandi, actor probasse censetur, si commendetur fumo veritatis, *not. 6-e.*

Aut causa secundum iuris definitionem verisimili, *ib.*

Aut assistentia iuris, *ib.*

Seu sit in eo statu ut, si nihil ex adverso probetur, possit obtinere sententiam favorabilem, *ib.*

Non vero si factum, in quo fundat intentionem suam, tale sit ut quamvis nihil ex adverso probetur, vincere nequeat, *ib.*

Neque sententia, qua laicum tribunal solvit civile vinculum, matrimonialibus in causis actorem intentionem suam fundasse censebit ecclesiasticus iudex, nisi rationes, quibus illa sententia innititur, aut perspectae saecularis magistratus religio et peritia id suadeant, *not. 37.*

Ad effectum autem adiudicandae litis actor vel reus intentionem suam fundasse tum dicitur, cum summa factorum quibus ille aut hic innititur, expletis iam iudicialibus tramitibus, ex praescripto legis pro veritate habetur, *cit. not. 6-f.*

INIMICITIA.

Inimicitias in episcopatu ortas debent episcopi componere, *not. 12.*

INTENTIO.

Intentio heic idem sonat ac actio, *not. 6-b-c.*

Intentionis suae fundamentum quilibet probare tenetur, *not. cit.*

Qualitas, ubi est fundamentum intentionis alicuius, debet prius probari, *loc. cit.*

Intentionem suam qui non probat dicitur carere iure, *loc. cit.*

Vid. *Fundamentum.*

INTERROGATIONES.

A principali quaestione remotae perutiles sunt ad irretiendos litigantes vel testes, vim veritati adhibere paratos, *not. 45-a et 48.*

Accommodandae sunt subiectae materiae, *not. 45-b.*

Ita concipiendae ut non superflua nec multa singulae complectantur, *ib.*

Ita ordinandae ut illae praemittantur, ad quas minori difficultate examinatus responsurus videtur, *ib.*

Ita dividendae ut praesens rogatum non ei ansam praebeat ad divinanda subsequentia, *ib.*

Exempla tam nimium generalium quam urgentium interrogationum, *ib.-c-et-d.*

Eruendae accurate sunt ex cunctis circumstantiis causae notis, *ib.-f.*

Interrogaturia suggestiva quae dicuntur? *not. 49.*

Alia sunt aperta, alia vero palliata, *ib.*

Utraque sunt illicita, *ib.*

IUDEX.

Probationes admittere debet, quoties prodesse valeant ad victoriam, *not. 41.*

Curat tamen ne iudicialium tabularum moles augeatur citra necessitatem, *ib.*

Hinc non recipit testes, si articuli, super quibus excutiendi sunt, non relevent, *ib.*

IUDICIA.

In iudiciis quasi contrahitur, *not. 2.*

IURAMENTUM.

Emitti debet *tactis Scripturis*, habito respectu ad Evangelia, *not. 22.*

Actuarius seu cancellarius scribere debet quod testis iuravit, *tactis Scripturis, ib.*

Verba enunciativa: *testis iuratus est* etc. non probant iuramenti praestationem, *ib.*

In principio examinis testis iuramentum praestare debet de veritate dicenda, *not. 23.*

LITES.

Ante litis initium curet iudex paterno consilio controversias sedare, *not. 12.*

Litium occasio amputanda est, *cit. not. 12-a.*

Lites ne protelentur debet quilibet iudex laborare, *ib.*

Lites sunt causa multorum malorum, *not. 13-a.*

Unde lites dicuntur flagella hominum durissima, *ib.*

Criminum occasionem et alia detrimenta praebent, *ib.*

Qui minuit lites, minuit peccata, *not. 12-a.*

MATRIMONIUM.

Summam libertatem requirit, *not. 28-b.*

Ad impugnandum matrimonium ex capite *vis et metus* is tantum admittitur, qui dicitur vim passus, *n. 7.*

Multa tamen contrarium suadent, *not. 9-a.*

Imo iudex competens undecunque accipiat aliquos in coniugio versari, cuius valor publice in dubium revocatur, ex officio inquiret, *cit. not. 9-b.*

Idque obtinet sive ex vi metuve sive quocunque ex alio vitio nutet matrimonium, *cit. not. 9-g.*

METUS.

Impedimentum, ex hoc capite matrimonium dirimens,

profluit ex lege 1ª ff. *Quod metus causa*, ubi praetor edicit: " *Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo* „, *not. 11.*

Illo praetoris edicto tum tantum contractus rescinduntur, cum agitur de damno gravi, i. e. de gravi iniuria, *ib.*

Metus, cadens in constantem virum, matrimonium irritat ipso iure, quia metus ille reddit contractum rescindibilem, et proin matrimonium tollit, quippe quod est natura perpetuum, *cit. not. 11-a.*

Non connubium vitiat timor iuste illatus, quia nec alios contractus ille reddit rescissioni obnoxios, *cit. not. 11-b.*

Cum metum inferens, prudenter credit se iuste agere, iusta dicitur compulsio quamvis revera et a parte rei sit iniusta, *cit. not. 11-c.*

Contra iniusta secundum allegata irritat actum compulsio etsi iusta sit a parte rei, *ib.*

Metus, ut dicatur cadens in constantem virum, quinque requiruntur conditiones, *not. 10.*

Scilicet: 1°. Ut malum, quod timetur, sit grave;

2°. Ut timens credat malum illud probabiliter sibi imminere;

3°. Ut metum incutiens, potens sit, minas exequi;

4°. Ut sit solitus exequi minas;

5°. Ut timens non possit facile occurrere malis sibi imminentibus, *cit. not. 10.*

Si vel una ex conditionibus illis deficiat, metus haud gravis censetur, *ib.*

Minor metus sufficit in femina ad annullandum matrimonium, quam in viro, et multo minor quando fuerit tenerae aetatis, et imbecillis vel fragilis animi, *not. 3.*

Ad matrimonium vel ad tales nuptias non possunt parentes absolute filios cogere, sed adhibere modicam coactionem, *not. 11-b.*

Incussio metus, cum sit aliquid facti, ad annullandum matrimonium per facta probari debet, *not. 28.*

Debet probari per actus exteriores, qui cadant in constantem virum, *cit. not. 28-a.*

Matrimonii nullitas non probata censetur, si testes generalibus verbis dicant filium vi seu iussu patris fuisse ad illud celebrandum impulsum, *ib.-b.*

Nisi testes facta, quibus metus incussus praetenditur, narrent cum singulis circumstantiis, iudices aestimare nequeunt num metus is sit qui cadat in constantem virum, *not. 28.-d.* Vid. *Factum, facta.*

Metus reverentialis absque minis non irritat matrimonium aliosque actus, nisi indignatio metum incutientis, quocum vivere timens debet, sit probabiliter diu duratura, *not. 32.*

Magis creditur duobus testibus de metu, quam mille de spontanea voluntate deponentibus. *not. 52.*

Illi enim affirmant actus, qui sensu corporis percipiuntur, puta minas, verbera et similia, *ib.*

Isti loquuntur de intentione, quae soli Deo cognita est, *ib.*

Ideo magis creditur duobus testibus violentam spoliationem, quam centum spontaneam affirmantibus, *ib.*

Iudex autem arbitrabitur an affirmantibus seu potius negantibus fides adhibenda sit, cum istis praesumptiones et coniecturae suffragantur, *ib.*

Aeque vero timorem asserentibus ac negantibus credendum est, quando isti negativam coarctant loco et tempore, *ib.*

Quando credendum sit testibus asserentibus puellam, minis a patre adactam, simulasse hilaritatem, quam in celebratione matrimonii prodidit, iudex arbitrabitur, *ib.*

Anteactis temporibus meticulosi praesumebantur actus a metum passo, sub potestate timorem inferentis adhuc manente, editi, *ib.*

Ob immutatos populorum mores moderni iudices matrimonium ratum potius habent si metum passus, imminentibus nuptiis signa laetitiae ediderit vel destiterit a non desperata oppositione, *ib.*

NUNCIUS.

Subscriptio, a citato in calce vadimonii apposita, optima est denunciatae citationis probatio, *not. 21.*

Pluribus in locis nuncio non facile creditur, sine idoneis testibus, *ib.*

At in curia romana nuncio asserenti vel ad actuarium referenti se citasse aliquem creditur sine testibus. Nam regulariter fides cuique adhibetur in spectantibus ad officium suum propter praestitum iuramentum de munere fideliter exercendo, *ib.*

Hanc ob causam creditur notario seu actuario attestanti de sibi a nuncio facta executae citationis relatione, *ib.*

Verumtamen actuario, si ei committatur citare aliquem, asserenti se citasse, non creditur sine testibus, quia non vadimonium alicui addicere pertinet ad eius officium, *ib.*

Ex stylo romanae curiae subscriptio in calce citationis a nuntio adiecta sufficit ad eius executionem credendam, *ib.*

Citatio denuntiari etiam potest per personam qualificatam vel per epistolas commendatas, *ib.*

Quod si citandi resciri nequeat sedes, recursus haberi potest ad publicas ephemerides, *ib.*

PAX.

Pacis violatores tenetur sub peccato mortali episcopus excommunicare, *not. 12-a.*

PROCURATOR.

Procurator actoris sine mandato procurae non est admittendus, *not. 14.*

Sed ei praefigenda est prima vel secunda dies iuridica ad legitimandam personam, *ib.*

Protestatio quod nemo ex adverso comparens audiatur, nisi docto de legitimo mandato, operatur ut, mandato non producto, acta sint nulla, *ib.*

Parte non opponente defectum mandati, procurator censetur approbatus, *ib.*

Amplia primo, eum, qui prius protestatus est, si in actis posterioribus protestationem non repetat, censeri ab illa recessisse, *ib.*

Amplia secundo processum sustineri, non obstante protestatione, si intret praesumptio mandati, *ib.*

Protestatio operatur ut acta post illam, sed ante productionem mandati gesta non sustineantur etsi collatio mandati acta praecesserit, *ib.*

Mandatum, parte non opponente, potest produci quandocunque, *ib.*

Sat est mandatum producere, quando de eo opponitur, si erat antea factum, *ib.*

Citans aliquem uti procuratorem censetur illum approbare, nec potest amplius opponere defectum mandati, *ib.*

Praesertim si agatur de sustinenda sententia contra approbantem et concurrunt coniecturae, *ib.*

Citatus, *uti assertus* procurator, vel a *procuratore,* vel si constat in actis de non legitimo mandato, non dicitur approbatus uti procurator, *ib.*

Iudex etiam post litem contestatam, si de mandato dubitari contingat, potest ex officio cogere procuratorem ad docendum de mandato vel cavendum de rato, *ib.*

REUS.

Rei nomine ille venit, quem actor in ius vocat, aliquid ab eo petiturus, *not. 6-a.*

Actore non probante reus absolvitur, *cit. not. 6-b.*

Attamen semelac actor in probationibus factis vel in assistentia seu dispositione iuris intentionem suam fundaverit, reus, si exceptionem proponat, regula seu assistentia iuris haud suffultam, tunc ipse probare debet, *cit. not. 6-c.*

Reus enim excipiendo fit actor, *ib.*

Levioribus tamen reus quam actor probationibus vincit, *ib.*

Reo namque sufficit probationes actoris offuscare, *ib.*

Reo sufficit vincere per non ius actoris, *cit. not. 6-b.*

SENTENTIA.

Erronea, si, non obstante succumbentis consensu vel acquiescentia, servari nequeat absque peccato, nunquam transit in iudicatum, *not. 47.*

In iudicatum proin non transit sententia per errorem ir-

ritum declarans matrimonium iure validum, cit. *not. 47-a-b-c-d-e-g.*

Sententia tamen firmans matrimonium, impugnatum ex causa *metus* vel *conditionis servilis*, transit in iudicatum, etsi, erronea, quia vitium remittitur consensu succumbentis vero aut praesumpto praesumptione *iuris et de iure,* cit. *not. 47-e-d-g.*

TESTES.

Iuramentum praestare debent de veritate dicenda, *not. 23.*

Proferre debent rationem suae attestationis, seu scientiae causam assignare per unum ex quinque corporis sensibus, *not. 39.*

Quod apud curiam romanam multo in pretio habetur, *ib.*

Fides omnino testi adimitur, qui positive interrogatus de scientiae causa, respondere detrectat aut ineptam vel falsam allegat, *ib.*

Assignata scientiae causa diversa sit oportet a suo dicto seu testimonio, ita ut nil probet testis, qui respondeat: " *scio quia mihi constat* „, vel simili modo, *ib.*

Nec probant testes de auditu alieno, quin indicent et excuti queat is, a quo talia et talia accepissent, *ib.*

Ideoque aerem verberat testis, qui ut dictum suum corroboret, adiicit rem notam esse testi N., qui nondum vivit, *ib.*

Qui multos testes adducunt ansam praebent ad suspicandum ne se bono iure destitutos persentiant, *n. 93, prop. fin.*

Indicia ex quibus argui potest num testis veritati in sua depositione studeat, *not. 42.*

Quamobrem testes potius in remotis quam in principali quaestione veritatem profiteantur, *not. 45.*

Quomodo in responsione ad rogatum a principali quaestione remotum patefacta sit senium, castam Susannam accusantium, calumnia, *ib-a.*

Testis respondens: *credo, ita est etc.* adducendus est ad enucleandas rationes quibus sua innititur opinio, *not. 46.*

Testes accurate iudex adiget ad proferendam scientiae causam et facti circumstantias etiam extrinsecas, *not. 48-b.*

Quare testes subornati scientiae causam proferre saepe omittant aut aliquam reticeant facti circumstantiam, *ibid.*

Exemplum affertur, quo testis ingentem vim depositioni suae comparat, quia iudex illum ad supplendas omissas circumstantias adigere detrectat, *not. 48-e.*

Exemplum alterum, quo idem iudex eundem testem in alia quaestione a rogato aberrantem ac utentem generalibus verbis, accommodata interrogatione adducit ad adimendam depositioni suae omnem fidem, *ibid.-f.*

Idipsum facile iudex forsan obtinuisset a subsequentibus quoque testibus, si accommodatis rogationibus eos perstrinxisset ac adduxisset ad nitide explicandas responsiones involutas et circumstantia aliqua deficientes rotunde explendas, *ib.-g.*

Non eadem testibus diversorum coetuum fides, ceteris paribus, adiicitur, *not. 50.*

Testes laici in matrimonialibus causis non sine magna circumspectione diebus nostris recipi possunt, *ib.*

Quare saepe contingat ut perpauci pro matrimonio, multi vero contra deponant, *n. 93, prop. fin.*

TESTES POST ATTESTATIONUM PUBLICATIONEM.

Propter timorem subornationis vetitum est testes recipere post didicita testificata, *not. 47.*

Limita, nisi sententia erronea, propter materiam peccati servari licite non posset, quamvis succumbentis accedat acquiescentia vel consensus, *cit. not.-47-a-b-c.*

Hinc post testificata didicita admitti possunt testes, ubi in dubium revocatur matrimonii valor ob dirimens ligaminis aliudve impedimentum, quod non solo coniugum consensu auferri potest, *ib.*

Contra impugnanti matrimonium ex capite *metus* aut ignoratae *conditionis servilis* haud integrum est post attestationum publicationem producere testes, quia cessant huiusmodi impedimenta consensu coniugum vero vel praesumpto praesumptione iuris et de iure, *cit. not. 47-d-f-g.*

Antequam tamen extraordinariam illam testium auditionem admittat, iudex investigabit an actor fumo veritatis (qua de re cf. *not. 6-e*) commendetur, *not. 51-a;* et an in iustitia causae seu potius in subornatione confidat, *not. 47-h.*

Inquiret praesertim an testes antea producere nequiverit vel contra dolose et malitiosè omiserit, *ibid.*

Num testes adeo probatae fidei sint ut omnem subornationis suspicionem effugiant, *ib.*

Circumspectiones etiam congruas adhibebit ad impediendam et detegendam subornationem, *ib.*

Vid. *Citatio.*

[a] Loco verbi "Nennien. „ in specimine primo et secundo lege "Parisien. „; in specimine tertio lege "Messanen. „; in quarto autem "Pacten. „. Loco verbi "Memmien. „ in quarto specimine adhibiti lege "Pacten. „.

IMPRIMATUR
Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR
Iosephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.

23131